

M

Barthélemy Vione

APOSTOLICÆ SEDIS DEFINITIONES VETERES, DE GRATIA DEI.

Secunda editio, Plurimum aucta.

COLLECTORE

BARTHOLOMÆO PETRO LINTREN.
S. Theol. Doct. & in Acad. Duacen.
Regio Professore.




DVACI,
Typis LAVRENTII KELLAMI,
sub signo Agni Paschalis,
MDC. XXVIII.



APPROBATIO.

Opusculum, *cui titulus*, APOSTOLICÆ SEDIS DEFINITIONES VETERES DE GRATIA DEI; *hac secunda editione plurimum auctum, solidasque ad prædictas definitiones notas continens, ab eximio* D. M. N. BARTHOLOMÆO PETRI LINTRENSI S. T. D. ac Regio Professore primario *concinnatum accurate legi, dignumque reperi quod à Theologis diligenter legatur; cum & antiquitati & veritati multum lucis adferat in commendationem gratiæ Dei. Quapropter expedire iudico vt recudatur.* Datum *Duaci die 3. April. An. 1627.*

FRANCISCVS SILVIVS S. T. D. & Regius Professor, Insignis Ecclesię S. Amati Decanus.



S. CÆLESTINI PAPÆ PRO B. AVGVSTINO, ET DE GRATIA DEI, EPISTOLA AD GALLIARVM EPISCOPOS.



Ilectissimis fratribus Venerio, Mario, Leontio, Auxonio, Arcadio, Philtatio, & cæteris Galliæ Episcopis Cælestinus Episcopus. Apostolici verba præcepti sunt; Apud Iudæos atque gentiles sine offensione nos esse debere. Hoc quisquis Christianus est, tota animi virtute custodit. Quod cum ita sit; non parum periculi illum manere poterit ante Deum, qui hoc detractat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos, qui neminem perire volumus, ista contristent, quæ authoribus Christianis percellunt animos Christianos; dominicus in Euangelio sermo testatur. Ait enim ipse Saluator, quod expediat scandalizanti vnum de pusillis, in maris profunda demergi. Et ideo quæ sit eius iam pœna quæramus, cui tale supplicium legimus expedire.

1. Cor. 10.

Mat. 18.

CAPVT PRIMVM.

FILII nostri præsentes Prosper & Hilarius, quorũ circa Deum nostrum solicitudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti, vt indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare aduersantia veritati. Sed vestræ dilectioni iustius imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi. Legimus supra magistrum non esse discipulum; hoc est, non sibi debere quemquam ad iniuriam Doctorum vendicare doctrinam. Nam & hos ipsos à Deo nostro positos nouimus ad docendum; cum sit, dicente Apostolo, eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus. Quid illic spei est, vbi magistris tacentibus, hi loquuntur qui, si ita est, discipuli non fuerunt? Timeo ne conniuere sit hoc tacere: timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talib⁹ causis non caret suspicione taciturnitas; quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque causa nos respicit, si silentio foueamus errorem. Ergo corripiantur huiusmodi; non sit his liberum habere pro voluntate sermonem: desinat, si ita res sunt, incessere nouitas vetustatem; desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Conantur sæpe naufragio mergere, quos intra portum stantes statio facit fida securos. Fida quippe est omniũ statio, quorum

2. Tim. 2, 23.

Luc. 6.

Quære notationes.

1. Cor. 12.

Quære not.

rum perfectis greſſibus veſtigia non mouentur. Recurrerunt ad Apoſtolicam prædicti ſedem; hæc ipſa nobis quæ tentat perturbatio, conquerentes. Habetote, fratres chariſſimi, pro catholicę plebis pace tractatum: ſciant ſe, ſi tamen cenſentur presbyterij dignitate, vobis eſſe ſubiectos: ſciant omnes qui malè docent, quod ſibi magis diſcere competat, quàm docere. Nam quid in Eccleſijs vos agitis, ſi illi ſummam teneant prędicandi? Niſi fortè illud obſiſtat (quod non authoritate, non adhuc ratione colligitur) Q. n. vt aliqui è fratrum numero, nuper de laicorum conſortio in collegium noſtrum fortaſſis admiſſi, neſciant quid ſibi debeant vendicare. Super his multa iam dicta ſunt eo tempore, quo ad fratris Tuentij dedimus ſcripta reſponſum; nunc tamen repetentes, ſæpius admonemus vt Q. n. vetentur huiuſmodi, qui laborant per terras aliud quàm ille noſter iuſſit agricola, ſeminare. Nec tamen mirari poſſumus ſi hæc erga viuentes hi nunc tentare audent; qui nituntur etiam quieſcentium fratrum memoriam diſſipare. Q. n.

CAPVT II.

AVGVSTINVM ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque meritis, in noſtra communione ſemper habuimus: nec vnquam Q. n. hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit; quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter Magiſtros optimos, *etiam à meis ſemper deceſſoribus haberetur*. Bene ergo de eo omnes in

commune senserunt; vtpote qui vbique cunctis & amori fuerit, & honori. Vnde resistendum talibus, quos malè crescere videmus. Nefas est hęc pati religiosas animas: quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque couenit macerari: quamuis maneat hos beatitudo promissa, quicunque probantur persecutionem propter iustitiā sustinere. quibus, quid
Matt. 5. promittat dominus in futurum, sequens sermo declarat. Non est agentium causa solorum:
q. n. vniuersalis Ecclesia quacunque nouitate pulsatur. Intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere. Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio, de tali re in posterum querela cessauerit. Deus vos incolumes custodiat fratres charissimi.

Sedis Apostolicæ Episcoporum authoritates de gratia Dei.

CAPVT III.

q. n. QVIA nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus seu prauitate siue imperitia demorantes, pijssimis disputatoribus obuiare pręsumũt; &, cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, Magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur; eaque tantummodo sequi & probare profitentur, quæ sacratissima beati Apostoli

stoli

Petri sedes, contra inimicos gratiæ Dei, per ministerium præsulum suorum sanxit & docuit: necessarium fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, iudicarint; & contra nocétissimos liberi arbitrij defensores quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint; ita vt etiam Africanorum conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas vtique suas fecerunt apostolici antistites, dum illas comprobarent. Vt ergo plenius, qui in aliquo dubitant, instruantur; constitutiones sanctorum patrum compendioso manifestamus indiculo, quo, si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum authoritatum breuitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cum catholicis credat & dicat: Q. n. Q. n. Infra, c. 8. & 10. Q. n.

CAPVT IIII.

IN præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse: & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit: pronunciante beatæ memoriæ Papa Innocentio, atque dicente in epistola ad Carthaginense concilium, Liberum enim arbitrium ille perpessus, dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda, demersus est: & nihil, quemadmodum exinde surgere posset, inuenit Q. n. Q. n. Innocentius.

uenit; suaque in æternum, libertate deceptus, ruina iacuisset oppressus, nisi eum pòst Christi pro sua gratia releuasset aduentus; qui per nouæ regenerationis purificationem omne præteritum vitium sui baptismatis lauacro purgauit.

CAPVT V.

NEMINEM esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus. Quòd in eisdē criptis, eiusdem
Q. n. pontificis sentētia protestatur, dicens. Nā quid nos de eorum posthac rectum mentibus æstimemus,
Idem. memus, qui sibi se putant debere quòd boni sunt, nec illum considerant cuius quotidie gratiam cōsequuntur, qui sine illo tantum se adsequi posse confidunt?

CAPVT VI.

NEMINEM, etiam baptismatis gratia renouatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias; nisi per quotidianum adiutorium Dei, perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. quod eiusdem antistitis in ijsdem pagi-
Idem. nis doctrina confirmat, dicens: Nam quamuis hominem redemerit à præteritis ille peccatis: tamen sciens illum iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum & post ista corrigere, multa seruauit, atque

quotidiana

quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur; nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur. Q. n.

CAPVT VII.

QVOD nemo, nisi per Christum, libero bene vtatur arbitrio, idem Magister in epistola ad Mileuitanum concilium data prædicat, dicens: Aduerte tandem, ô prauissimarum mentium peruersa dictrina, quod primũ hominem ita libertas ipsa decepit, vt dum indulgentiùs frenis eius vtitur, in præuaricationem præsumptione concideret: nec ex hac potuit erui, nisi ei prouidentiâ regenerationis statum pristinę libertatis Christi domini reformasset aduentus. Idem. Q. n.]

CAPVT VIII.

QVOD omnia studia, & omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint, quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo quod ipse donauerit. In quã nos sententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zosimi regularis authoritas, cum scribens ad totius orbis Episcopos ait: Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt, vnde nascuntur) ad fratrum & coëpiscoporum nostrorum conscientiã vniuersa retulimus. Hunc autem sermonẽ Q. n. zosimus PP.

synce-

syncerissimæ veritatis luce radiantem, tanto
Q. n. Afri Episcopi honore venerati sunt, vt ita ad eundem virum scriberent. Illud verò quod in literis, quas in vniuersas Prouincias curasti esse mittendas, posuisti dicens, Nos tamen instinctu Dei, &c. sic accepimus dictum, vt illos qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrij libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens, amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quod vniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti; & tamen instinctu Dei factum esse, fideliter sapienterque vidisti, veraciter, fidenterque dixisti. Ideo vtique, quia pręparatur vo-
Prou. 8. luntas à domino; &, vt boni aliquid agant, pa-
Q. n. ternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim spiritu Dei agun-
Rom. 8. tur, hi filij Dei sunt vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.

CAPVT IX.

QVOD ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem
Idem. idem Doctor instituit; qui, cum ad totius or-
Q. n. bis Episcopos de diuinæ gratiæ opitulatione loque-

loqueretur, Quod ergo, ait, tempus interuenit quo eius non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, motibus, adiutor & protector orandus est. Superbum est enim vt quicquam sibi humana natura præsumat; clamante Apostolo, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra principes, & potestates aeris huius, contra spiritalia nequitię in cœlestibus. Et sicut ipse iterum dicit, Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Et iterum, Gratia Dei sum id quod sum; & gratia eius in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum.

Ephes. 6.

Rom 7.

1. Cor. 15.

CAPVT X.

ILLVD etiam, quod intra Carthaginensis synodi decreta constitutum est, quasi propriũ apostolicæ sedis amplectimur; quod scilicet tertio capitulo definitum est, vt quicunque dixerit gratiam Dei qua iustificamur per Iesum Christum dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere quæ iam commissa sunt; non etiam ad adiutorium, vt non committantur: anathema sit. Et iterum quarto capitulo, Vt quisquis dixerit, gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsum nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum,

Q. n. Concil. Cartag. Canon 3. a sede apost. cõfirm.

Item Canon 4.

vt sciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus; non autem per illam nobis pręstari vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus atque valeamus: anathema sit. Cum e-
1. Cor. 8. nim dicat apostolus, Scientia inflat, charitas verò ædificat: valde impium est, vt credamus ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi; & ad eam quæ ædificat, non habere: cum sit vtrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus; vt ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autẽ de Deo scriptum est: Qui docet hominem sci-
Psa. 93. entiam: ita etiam scriptum est, Charitas ex Deo
1. Ioa. 4. Item quintus. est. In quinto capitulo, Vt quisquis dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam; tanquam si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata: anathema sit. De fructibus enim mandatorum dominus loquebatur; vbi non ait, Sine me difficilius potestis facere: sed ait, Sine me nihil
Ioa. 15. potestis facere.

CAPVT XI.

Solus Cęlestinus loquitur deinceps. PRÆTER beatissimæ & apostolicæ sedis inuiolabiles sanctiones, quibus nos pijssimi patres, pestifera nouitatis elatione deiecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis vsque in finem perseuerantiam, ad Christi gratiam referre docuerunt

cuerunt: obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus. quę ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni catholica ecclesia uniformiter celebrantur; vt legem credendi lex statuat supplicandi. Cùm enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione fungantur apud diuinam clementiam; humani generis agunt causam, & tota secum ecclesia congemiscente postulãt & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis suæ liberẽtur erroribus, vt Iudęis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, vt hæretici catholicę fidei perceptione resipiscant, vt schismatici spiritum rediuiuæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentię remedia conferantur, vt denique cathecumenis ad regenerationis sacramenta perductis cœlestis misericordiæ aula reseretur. Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à domino peti, rerum ipsãrum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum trãsferat in regnum filij charitatis suæ; & ex vasis irę, faciat vasa misericordiæ. Quod adeo totum diuini operis esse sentitur; vt hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio, pro illuminatione talium, vel correctione, referatur. Colos. 1. Rom. 9.

Capvt

CAPVT. XII.

Sumit hęc verba B. Cælestinus ex S Fabiani epist. 2. c. 1.

ILLVD etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non ocioso contemplemur intuitu. Cum siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum; non prius fontem vitę adeunt quàm exorcismis, & exufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur: vt tunc verè appareat quomodo princeps mundi huius mittatur foras; & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vasa eius diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captiuam ducit captiuitatem, & dat dona hominibus.

Ioa. 12. Mat. 12. Marc. 3. Psa. 67.

Cõclusio responsi ad Tuentium episcopum, & n.

HIS ergo ecclesiasticis regulis, & ex diuina sumptis authoritate documentis, ita adiuuante Domino conformati sumus, vt omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei, attenditur, Deum profiteamur authorem: & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita pręueniri, per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo vtique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur; vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona; & pro his quę largitus est, æterna pręmia sit donaturus.

Idem dixerat S. Cypr. epist. 77. alias 3, 25.

Agit

Agit quippe in nobis, vt, quod vult, & velimus & agamus: nec ociosa esse in nobis patitur, quę exercenda, non negligenda donauit; vt & nos cooperatores simus gratiæ Dei, ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum solicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam nostram; & cui quotidie dicimus, Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo. Ps. 10. 2. Mat. 6.

CAPVT XIII.

PROFVNDIORES verò difficilioresque partes incurrentium quęstionum, quas latiùs pertractarunt qui hęreticis restiterunt; sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere. Quia ad confitendam gratiā Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrāhendū est, satis sufficere credimus quicquid, secundum prędictas regulas, Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt: vt prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit pręfixis sententijs esse contrarium. Q. n. Q. n.

B. CÆLESTINVS

EPISTOLÆ SVPERIORIS CAP. 3. hæc ait;

QVIA nonnulli qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum

sensibus

ſenſibus ſeu prauitate ſiue imperitia demorantur; eaque tantummodo ſequi & probare profitentur quę ſacratiſſima beati Apoſtoli Petri ſedes, contra inimicos gratiæ Dei, per miniſterium præſulum ſuorum ſanxit & docuit: neceſſarium fuit diligenter inquirere quid Rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi quę eorum temporibus exorta fuerat, iudicarint: & contra nocentiſſimos liberi arbitrij defenſores quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint. Et mox, Vt ergo plenius qui in aliquo dubitāt, inſtruantur; Conſtitutiones ſanctorum Patrū compendioſo manifeſtamus indiculo, quo, ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum authoritatum breuitate pendere; nullamque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum Catholicis credat & dicat, In pręuaricatione Adæ &c. Subnectit autem ſententias Innocentij primi, & Zoſimi papæ aduerſus hæreſim Pelagij prolatas; deinde ſuam ipſius definitionem ex B. Petri cathedra pronuntiat, quam ita concludit vt dicat ſe prorſus non opinari catholicum quod apparuerit pręfixis ſententijs eſſe contrarium.

Eſt verò opere precium, & huic B. Cæleſtini ſtudio valde conforme, ſi nos aliquot aliorum ſummorum Pontificum ex cathedra loquentiū ſententias quibus hęreſis Pelagiana damnetur, ſuo ordine hoc loco recenſeamus, & quibus modis omnem illius hæreſeos vafriciem detexerint, aperiamus; quantumque in ea profliganda

fliganda laborarint, vt quę fundamenta ipsa subuertat christianę religionis.

Pontifices de quibus agimus sunt hi:

1. S. INNOCENTIVS.
2. S. ZOSIMVS.
3. S. BONIFACIVS.
4. S. CÆLESTINVS.
5. S. XYSTVS.
6. S. LEO. 1.
7. S. GELASIVS. 1.
8. S. HORMISDA.
9. S. FELIX. 4.
10. IOANNES. 2.
11. S. GREGORIVS MAGNVS.

Quid aduersus pelagianos & semipelagianos egerint Innocentius & Zosimus, ex Cælestini epistola capite 4. 5. 6. 7. 8. 9. manifestum est: & a B. Prospero paucis verbis Contra Collatorem c. 41. ita compræhenditur: Non cum istis (fouentibus reliquias Pelagianismi) noua acie dimicandum est, nec quasi contra ignotos hostes specialia sunt ineunda certamina: tunc istorum machinæ fractę sunt, tunc in superbiæ socijs ac principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit; quando Africanorum Conciliorum decretis beatę recordationis Papa Zosimus sententię suæ robur annexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit antistitum.

Quid Bonifacius primus aduersus Pelagianismum.

Prosper eodem illo 41. capite: Tunc istorum machinæ fractæ sunt, tunc in superbiæ socijs ac principibus corruerunt, quando sanctæ memoriȩ Papa Bonifacius pijssimorum Imperatorum catholica deuotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non solum apostolicis, sed etiam regijs vtebatur edictis.

Hoc idcirco Prosper dicit quod semel iterũque in Pelagianos exilij pœnam statuerunt Catholici Imperatores Honorius & Theodosius: prius quidem sub Pontificatu Zosimi, anno Christi 418. pridie Kalendas Maias; iterum verò sub pontificatu Bonifacij, anno Domini 419. quinto Idus Iunias, vt est illis annis videre apud Baronium Tomo 5.

Addit eodem loco Prosper de sancto Bonifacio Papa quod cũ esset ipse doctissim⁹, aduersus libros tamen Pelagianorum beati Augustini episcopi responsa poscebat. Intelligit Prosper ea quæ S. Augustinus scripsit contra duas epistolas Pelagianorum, libris quatuor, quos ad hunc Pontificem misit. Ex his patet quanta diligentia vsus sit hic sanctus Bonifacius, ne iam ab Innocentio & Zosimo damnata hȩresis Pelagiana, vspiam serperet.

Patet item necessitatem magnam fuisse implorandi auxilium catholicorum Imperatorum

aduersus

aduersus Pelagianos, arrogātissimos & decreta Romanorum Pontificum Innocentij & Zosimi nihili facientes. Baron. 454. c.

Quid aduersus Pelagianismum S. Cælestinus.

Id magna parte liquet ex eius epistola ad Galliarum Episcopos data; cui annotationes subiecimus: sed præterea hic vir est qui anno Christi 429. sanctum Germanum Antissiodorensem episcopum (cui Synodus Gallicana addidit sanctum Lupum episcopum Trecēsem) in Britanniam misit vt vice sua eam a Pelagianismo liberaret. Qua de re ita B. Prosper in Chronico, Consulibus Florentio & Dionysio, Agricola (inquit) Pelagianus Seueriani Pelagiani episcopi filius, ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit: sed Papa Cælestinus Germanum Antisidorensem episcopū vice sua mittit, vt deturbatis hæreticis Britannos ad catholicam fidem dirigat. Hæc Prosper in Chronico: Et contra Collatorem c. 41. de hoc Cælestino Pontifice loquens, ait: Nec segniore cura ab hoc eodem morbo (Pelagianismo scilicet) Britannias liberauit, quando quosdam inimicos gratię, solum suæ originis occupantes (Britannus enim Pelagius multos suę gentis in hęresim suam pellexerat) etiam ab illo secreto exclusit Oceani: & ordinato Scotis episcopo (Palladio videlicet) dum Roma-

nam insulam (id est, Britanniam) studet seruare catholicam; fecit etiam barbaram (Scotiam) christianam.

Hoc eodem Cœlestino agente, hæresis Pelagiana in Concilio Ephesino iterum est condamnata, anno Christi 431. sessione nona. Qua de re idem Prosper in Chronico Coss. Anicio Basso & Flauio Antiocho, ita habet; Congregatâ apud Ephesum plus ducentorum Synodo sacerdotum, Nestorius cum omni hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum sibi dogma iuuabant, damnatur. Pelagianos hæresim Nestorianam vt cognatã sibi, iuuisse, idcirco ait Prosper, quia si liberum arbitrium sibi ad salutem sufficit; non fuit opus Christum esse Deum, sed esse hominem sanctum sufficiebat qui exemplo vitę sanctæ nos doceret & hortaretur. Vnde idem Prosper Epitaphium Nestorianæ & Pelagianæ hæreseon ita auspicatur.

Nestoriana lues successi Pelagianæ,
Quæ tamen est vtero progenerata meo:
Infelix miseræ genitrix & filia natæ,
Prodiui ex ipso germine quod peperi.

Meminit condemnationis Cælestij atque Pelagij in Ephesino Concilio factę B. Gregorius libro 7. epistola 47. & epistola 14. libri quinti. Vt ad Cælestinum redeamus, de ipso Prosper cap. illo 41. contra Collatorem, etiam hæc habet: Venerabilis memoriæ pontifex Cælestinus, cui ad catholicæ Ecclesiæ pręsidium multa Dominus gratię suę dona largitus est; sciens damnatis non examen iudicij, sed solum pœnitentię

Conferantur. quæ dicimus infra, vbi de Gregorio

nitentię

nitentiæ remedium esse pręstandum: Cælestiũ, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italię finibus iussit extrudi; adeo & pręcessorum suorum statuta & decreta synodalia inuiolabiliter seruanda censebat, vt quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Hæc Prosper. Denique idem Cælestinus ad Maximianum recens electum episcopum Constantinopolitanum, anno Christi 432, inter cætera ita loquitur contra Pelagianos; Locum impietas nouella non habeat; & compresso olim, per totum orbem sua dãnatione noto, Cęlestiano errori a tua vigilãtia resistatur; vt quicumque huius dogmatis sunt sequaces, ab omni societate hominum repellãtur. Obsistat illis per te Spiritus sanctus; ne eorum impia prædicatio resurgat, obsistite eis: tanquam enim non illis sufficiat sententia toties repetita, longinquas terras remotasque prouincias inquietant: sed eos ille persequitur cuius fidem sua prauitate persequi nitebantur. Sed quo se abscondant, ad quas latebras confugiant, sua se impietate prodentes, inuenire non possunt.

Sixtus tertius quid contra Pelagianismum.



Confidimus (ait Prosper contra Collat. in fine) Domini protectione pręstandum vt quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio,

Cęlestino; operetur & in Xysto: & in custodia dominici gregis, hæc sit pars gloriæ huic reseruata pastori, vt sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos. Id quod ita factum fuisse, idem Prosper in Chronico, sub coss. Theodosio 17. & Festo; his verbis narrat: Hac tempestate Iulianus Atellanensis iactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi episcopatus imtemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi, correctionis speciem præ se ferens, molitus est in cōmunionē Ecclesiæ irrepere: sed ijs insidijs Sixtus Papa, diaconi Leonis hortatu, vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit; & ita omnes catholicos detectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresin Apostolicus gladius detruncasset.

Sub hoc eodem Sixto tertio Sanctus Germanus Antisidorensis episcopus mittitur secūdo in Britanniam, adiuncto sibi sancto Seuero Treuerensi episcopo, ad liberandum Britanniā ab hæresi Pelagiana, paucorum opera illic repullulante. Authores sceleris inuentos condemnant, & curant expelli ex insula. Scribit hæc Constantius Vitæ S. Germani libro 2. cap. 1. facta sunt anno Domini 435.

Denique & illud de hoc Sixto sciendum est quod anno Christi 418. cū aduersus Pelagium, & Cęlestium, in sacro Patrum consessu, Romę per Zosimum sententia lata esset; hic Sixtus tunc Romanus presbyter, primus omnium in

eosdē palam inclamauerit anathema. Id quod ea de causa tunc fecit Sixtus, quod Pelagiani iniuriam hanc ei fecerant qua sparserant illum fauere Pelagianis. Discimus hoc ex S. Augustini epistola 105, quę est ad hunc Romanum presbyterum Sixtum; in cuius exordio sic scribit Augustinus: Quod fatendum est charitati tuæ, tristes eramus nimis, cum fama iactaret inimicis gratię Christi te fauere: sed vt hæc tristitia de nostris cordibus tergeretur, primò, te priorem anathema eis in populo frequentissimo pronunciasse, eadem fama non tacuit. Deinde, cum literis Apostolicę sedis de illorum damnatione ad Africam missis, tuæ quoque literæ ad venerabilem senem Aurelium (Cartaginensem Episcopum) consecutæ sunt; quæ tametsi breues erant, tuum tamen vigorem aduersus eorū errorem satis indicabant. Hæc S. August.

Imo, non contentus Sixtus anathema publicè dixisse Pelagianis; scripto etiam prolixo illam Dei gratię inimicam hęresim, confutauit: quod scriptum Beatus Augustinus eadem epistola 105 valde laudat, vt & epistola 104. Quid enim (ait) gratius legi vel audiri potest quam gratiæ Dei tam pura defensio aduersus inimicos eius, ex ore illius qui eorundem inimicorum magni momenti patronus antè iactabatur?

B. LEONIS PRIMI, PAPÆ,

EPISTOLA 84. ALIAS 86.

Leo Episcopus Romæ Nicetæ Aquileiensi Episcopo.



ELATIONE sancti fratris & coëpiscopi nostri Septimij, quæ in subditis habetur, agnouimus quosdam presbyteros, diaconos, ac diuersi ordinis clericos quos Pelagiana siue Celestiana hæresis habuerit implicatos, ita in vestra prouincia ad communionem catholicam peruenisse vt nulla ab eis damnatio proprij exigeretur erroris; & pastoralibus excubijs nimium dormitantibus, lupus ouium pellibus tectus, in ouile dominicum, non depositis bestialibus animis, introiret: &: quod per authoritatem canonum, decretorumque nostrorum, ne insontibus quidem conceditur, vsurpare; vt relictis ecclesijs in quibus Clericatum aut acceperant, au receperāt instabilitate sua per diuersa circūferātur, amantes sēper errare & nunquā in fundamento Apostolico permanere. Quoniam qui nullo discussi examine, nullo sunt præiudicio

Matt. 7.

suæ

ſuæ profeſſionis obſtricti; hunc maximè expetunt fructum, vt ſub velamento communionis, plures domos adeant, & per falſi nominis ſcientiam multorum corda corrumpant. Quod vtique efficere non poſſent; ſi Eccleſiarum Prȩſules neceſſariam diligentiam in talium receptione ſeruarent, nec cuiquam eorum euagari in diuerſa licuiſſet.

¶ Ne ergo hoc vlterius audeatur, néve per quorundam negligentiam introducta pernicies, ad euerſionem multarum tendat animarum; hac noſtri authoritate prȩcepti, induſtriæ tuæ fraternitatis indicimus vt, congregata apud vos Synodo prouincialium Sacerdotum, omnes ſiue Presbyteri, ſiue Diaconi, ſiue cuiuſque ordinis Clerici, qui de Pelagianorum Celeſtianorumque conſortio in communionem Catholicam ea imprudentia ſunt recepti vt non prius ad damnationem ſui coarctarentur erroris; nunc ſaltem poſteaquam hypocriſis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipſis prodeſſe, & nullis poſſit nocere, cogantur. Damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris authores; & quicquid in doctrina eorum vniuerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur: omniaque decreta Synodalia, quæ ad exciſionem huius hæreſeos apoſtolicæ Sedis cõfirmauit authoritas, ãplecti ſe, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus, eloquãtur. Nihil in verbis eorũ obſcurum, nihil inueniatur ãbiguũ: quoniã nouimus hanc iſtorũ Inf. c. 6. ca. 2.

 eſſe

Q. n. esse versutiam, vt in quacunque particula dogmatis execrandi se à damnatorum societate discreuerint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non saluum; Cumque omnes diffi-
Q. n. nitiones suas, ad subrependi facilitatem, improbare se simulent atque deponere, hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, vt gratia Dei secundum meritum dari accipientium sentiatur.

¶ Quę vtique nisi gratis detur, non est gra-
Q. n. 3. tia; sed merces retributioque meritorum; dicente beato Apostolo: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum
Eph. 2. est. Non ex operibus; ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ pręparauit Deus vt in illis ambulemus. Omnis itaque bonorum
Q. n. operum deuotio diuina præparatio est: nec propria quisquam iustificatur virtute; quoniam gratia vnicuique principium iustitiæ, & bonorum fons, atque origo meritorum est. Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur pręueniri; vt quæ ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata: falsumque sit quod veritas ait,
Luc. 19. Quoniam filius hominis venit quærere & saluare quod perierat. Ideo etiam paruulos, dicunt, si sine baptismo hinc de seculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccato Adæ teneri, sed ad regnum Dei vel ad vitam ęternam sine vlla cunctatione venire; cum Apo-
Rom. 5. stolus dicat: Per vnum hominem peccatum intrauit

trauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertrãsijt. propter quod & ipsi paruuli baptizantur. Quamuis in illo vno possint intelligi plura peccata, si vnũ ipsũ in sua quasi membra singula diuidatur. Nam & superbia est illic; quia in sua homo potius esse, quàm in Dei potestate, dilexit: & sacrilegium; quia Deo non credidit: & homicidium; quia se pręcipitauit in mortem: & fornicatio spiritualis; quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum; quia prohibitus vsurpatus est cibus: & auaritia; quia plus quàm sufficere illi debuit, appetiuit: & si quid aliud in hoc vno admisso diligenti consideratione poterit inueniri. ¶ Parentum quoque peccatis paruulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum de quibus ipsi nati sunt; non improbabiliter dicitur. Illa quippe sententia, Reddam peccata patrum in filios, tenet eos vtique, antequam per regenerationem ad testamentum nouum incipiant pertinere: quod testamentum prophetabatur, cùm diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec vlterius futuram in Israël parabolam illã, Patres manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Ideo enim quisque renascitur, vt soluatur in eo quicquid peccati est cũ quo nascitur. Nam peccata quæ malè agẽdo postea committuntur, possunt & pœnitendo sanari; sicut etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non est instituta regenera-

CA. 4. Q. 2.

Exod. 20.

Ezech. 18.

tio, nisi quia vitiosa est generatio; vsque adeò vt etiam de legitimo matrimonio procreatus,
Psal. 50. dicat: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in vtero me aluit. Neque hic dixit, in iniquitate, vel in peccato, cùm hoc rectè dici posset; sed iniquitates & peccata dicere maluit: quia & in illo vno, quod in omnes homines pertransiuit, quodque tam magnum est, vt eo mutaretur & conuerteretur in necessitatem mortis humana natura, sicut suprà disserui, reperiuntur plura peccata; & alia parentum, licet non possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia & misericordia diuina subueniat. A paruulo enim recens nato, vsque ad decrepitum senem, quamlibet corporis ætatem gerant, sicut nullus prohibendus est à baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo. Sed paruuli tantum originali; maiores autem etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt. ¶ Cauendum ergo dilectioni tuæ est, magnaque diligentia prouidendum, ne per huiusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur; & de exciso olim dogmate aliquod in prouincia tua eiusdem mali germen oriatur, quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesię sobolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent: & obediendo nobis, probent se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus præ-

De cō-sec. dist. 4. A paruulo.

CA. 5.

ceptis

ceptis satisfacere detrectarit; siue ille clericus, siue sit laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur; ne perditor animę suę saluti insidietur alienæ.

¶ Illam quoque partem Ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim à sanctis patribus, & à nobis sæpè dęcretum est, vt nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, nec in subsequẽti officio Clericorum, ab Ecclesia *ad Ecclesiam* cuiquam transire sit liberum; vt in integrum reuoces, admonemus. Et vnusquisque, non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum deprauatus; vbi ordinatus est, perseueret: ita vt si quis sua quęrens, non quę Iesu Christi, ad *plebem & Ecclesiam* suam redire neglexerit: & ab honoris priuilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua, nos, si (quod non arbitramur) neglecta fuerint quæ pro custodia canonum, & pro fidei integritate decernimus; vehementius commouendos: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque rectores; qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

CA. [illegible]

In Cõc. Hispalen. 2. cap. 3.

Dist: 86 Inferiorum culpæ.

Finis Epistolæ.

QVIBVS ALIIS MODIS B. LEO ADVERSVS PELAGIANISMVM EGERIT.

IAM vbi de Sixto tertio egimus, dictum est quod Leonis diaconi sui hortatu Iulianum quondam episcopum Capuanum, quantumuis speciem correctionis præ se ferret, noluit in communionem ecclesiæ recipere, nullumque aditum pestiferis eius conatibus patere permisit.

Præterea, iam factus Pontifex sanctus Leo, B. Prospero onus imposuit fidem catholicam aduersus Pelagianos & eorum reliquias defendendi. Testatur hoc ipse Prosper in præfatione ad obiectiones Vincentianas. Nam quod fuerit Leo pontifex cuius authoritate idfecit Prosper, doceri potest ex Photio in Bibliotheca, cuius verba referimus infrà, annotatione prima ad S. Leonis epistolam.

B. GELASII PAPÆ EPISTOLA AD HONORIVM IN DALMATIA EPISCOPVM.

Dilectissimo fratri Honorio Gelasius. Et infra; Nunciatum est, in regionibus Dalmatiarũ quosdam recidiua Pelagianæ pestis zizania seminasse, tantumque illic eorum præualere blasphemiam, vt simplices quosque mortiferi furoris insinuatione decipiant. Est quidem error ipse nefarius tanto perniciosior ad surrependũ, quanto ad fallendum verisimilitudinis colore versutior: præstante Domino adest fidei catholicæ pura veritas, concors vniuersorum patrũ deprompta sententia; quæ & subtile virus funestæ prauitatis exponat, & humano generi saluando conferat de scripturarum confectione medicinam. Et post nonnulla, An fortasse nescitis hanc hęresim de qua loquimur, ab Apostolica dudum sede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zosimum, Bonifacium, Cælestinum, Sixtum, Leonem continuis & incessabilibus sententijs fuisse prostratam: nec tantum Ecclesię catholicæ legibus, sed Principum quoque Romanorum eo tenore damnatã, vt nec vsquam terrarum viuendi locum sectatores eius habere sinerentur?

Quod hîc Gelasius dicit de principum Romanorum legibus quibus damnati sint Pelagiani, facile intelligetur ex his quæ suprà de Bonifacio primo dicta sunt. Data fuit hæc Gelasij

epistola

epiſtola anno Chriſti 493. quarto Kalendas Auguſti; quo eodem anno idem Pontifex Kalendis Nouemb. epiſtolam dedit ad omnes in Piceno epiſcopos, qua plurimum dolet & conqueritur Pelagianam hæreſim in ea prouincia coaleſcere cœpiſſe. Tres autem in ea epiſtola recēſet Pelagianas ſententias, quæ tum in Piceno cœperant ſpargi, & a nonnullis recipi. Prima erat, Infantes non concipi cum peccato originali.

Secunda, Infantes etſi non baptizatos non poſſe damnari. Tertia, Hominem per liberum arbitrium, ipſa natura ſuffragante, poſſe beatū reddi. In fine autem eiuſdem epiſtolæ eſt hoc Gelaſij decretum; Nuſquam loci prorſus inueniatur præfatæ peſtis aſſertor; nec acceſsū prorſus eccleſiæ, vel vſquam participationem catholicæ communionis inueniat; qui hæreticorum mauult ſubſequi nefaria profeſſione conſortium: & hi cum quibus antea probabitur noxium miſcuiſſe colloquium, niſi reſipiſcunt & ab eius ſocietate diſcedunt, ab eccleſiaſtico remoti ſeruitio, deuota vltione plectantur, quo cæteris cauendi miniſtretur exemplum. Nullū adeat, nec vſquam loci damnatæ olim blaſphemiæ iam ſinantur.

In ſecunda autem ad ſuprà dictum Honoriū epiſcopum Gelaſij epiſtola, is ita loquitur: Miramur dilectionem tuam fuiſſe miratam, curam ſedis apoſtolicę, quæ, more maiorum, cunctis per mundum debetur eccleſijs, pro veſtræ quoque regionis fide fuiſſe ſolicitam. Cumque ad

eam

eam perlatum esset quod quidam per Dalmatias integritatem catholicam vitiare niterétur, & diuinis humanisque legibus antè damnatum Pelagianæ pestilentiæ virus inferre; non putauerimus vllatenus differendum quo minus hæc diligentius inquireremus: vt aut, si fortasse irrepserant, de proximo sanarentur; aut anxietatem nostram, si falso probarentur iactata, releuarent. Neque enim vel silentio premere causam huiusmodi, vel differendo fouere deberemus.

Et, vt finiamus de Gelasio; hic est qui cum Concilio septuaginta Episcorum, approbat Opuscula Beatorum Augustini, Prosperi & Hilarij atque Hieronymi, & aliorum catholicorum authorum: inter apocrypha autem collocat Cassiani & Fausti Regiensis Episcopi scripta: vt est videre in Tomo 2. Conciliorum, & dist. 15. c. Sancta Romana, in editionibus Decreti melioribus.

Quid S. Hormisda Pontifex aduersus Pelagianismum eiusve reliquias.

QVanta sanctitate, prudentia & diligentia S. Hormisda Pontificatum nouem annos ac paulo amplius administrauerit, fidemque catholicam vbique conseruare & vbi labefactata erat redintegrare studuerit; videre est

Annalium Baronij Tomo 6. & 7. Transiuit ad Dominum octauo idus Augusti, anno Christi 523.

Vt autem sciamus quid hic vir sanctus aduersus Pelagianismum eiusque reliquias egerit; repetendum est ex Baronio Tomo 6. anno Christi 517. de Possessore Episcopo Africano. Hormisda (ait Baronius) qui ad omnes catholicę communionis Episcopos literas dedit, addidit priuatas ad Possessorem Episcopum, Legatorum relatione sibi cognitum. Erat hic Africanus Episcopus pro fide Catholica iam ab Arianis factus extorris: qui conferens se Constantinopolim non sine Dei consilio, multum profuit Catholicæ fidei, hæreticos exagitans libereque redarguens; cuius aduersus Pelagianos (vt suo loco dicemus) enituere certamina. Hic enim in priore ab Hormisda missa legatione, palam apud legatos rectę fidei professionẽ edens, eandem scriptis consignatam & chirographo roboratam ad eũdem Hormisdam Põtificem Romam perferendam, dedit. Cuius egregium factum idem Hormisda probans, ad ipsum eiusmodi literas reddidit; Hormisda Episcopus Possessori Episcopo. Et infra, Libellũ dilectionis tuę de confessione rectę fidei, per legatos nostros remeantes, accepimus, & in eo sinceritatem tuæ fraternitatis agnouimus: quia quod rectè credit, sub attestatione publica prędicare non distulit. Data tertio nonas Aprilis, Agapito V. C. Consule.

Quod verò hîc promittit Baronius suo loco

ſe dicturum de Poſſeſſoris aduerſus Pelagianos certaminibus enitentibus, id exequitur Tomo 7. anno Chriſti 520. vbi Poſſeſſoris ad Hormiſdam Pontificem literas recitat, hac inſcriptione & exordio; Domino beatiſſimo & ineffabiliter mirabili, & in Chriſti gratia præferendo Papæ Hormiſdæ Poſſeſſor Epiſcopus in Domino æternam ſalutem. Decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de ſanitate membrorum. & infra. Cum quorũdam fratrum animus de codice Fauſti natione Galli Reginæ ciuitatis Epiſcopi, qui de diuerſis rebus, & frequentius de Gratia Dei, diſertè viſus eſt diſputare, in ſcandalum mouerentur; alijs (vt ſe habent humana ſtudia) in contrarium renitentibus: me crediderunt de hoc ambiguo conſulendum. Et infrà; Vel pro eorũ prece, vel pro obſequij occaſione reddendi Apoſtolatui veſtro, per Iuſtinum Diaconum meũ prçſumpſi apices paruitatis meç ingerere; quibus principaliter orationum veſtrarum munimen expoſcens, quæſo vt *conſulentes quid de præfati authoris dictis videatur, authoritate Apoſtolicæ reſponſionis agnoſcant*: maximè quod filij quoque veſtri, Magiſtri militum, Vitalianus & Iuſtinianus; præcipuè ſuper hac re reſcripto beatitudinis veſtræ ſimiliter informari deſiderant. Ita Poſſeſſor. Cuius epiſtolam quum accepiſſet Hormiſda, ſtatim reſpondendum iudicauit ne occaſione librorum Fauſti, noua inter orientales controuerſia naſceretur. Itaque, quum Epiſtolam Poſſeſſoris accepiſſet 15. Kalend. Augu-

ſti, ipſe Idibus Auguſti reſpondit, his verbis: Hi quos de Fauſti cuiuſdam, antiſtitis Galli dictis vos conſuluiſſe, literis indicaſtis; id ſibi reſponſum habeant: Neque illum recipi; neque quemquam quos in authoritate Patrum nō recipit examen Catholicæ fidei aut Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ambiguitatem poſſe gignere, aut religioſis præiudicium comparare. & infra; Non improuidè veneranda Patrum ſapientia fideli poſteritati, quæ eſſent Catholica dogmata definijt, certa librorũ etiam veterum in authoritatem recipienda, ſancto Spiritu inſtruẽte, præfigens: ne opinioni ſuæ lector indulgẽs, non quod ædificationi Eccleſiaſticæ conueniret, ſed quod voluptas ſua concepiſſet, aſſereret. Quid ergo calumniantibus opus erat extra conſtitutos Eccleſiæ terminos porrigere quæſtiones, & de his quæ habentur dicta, quaſi dicta non ſint, mouere certamina; cum Chriſtiana fides Canonicis libris & Synodalibus præceptis, & Patrum regularibus conſtitutis, ſtabili & inconcuſſo termino limitetur?

Innuit haud dubiè Hormiſda Pontifex cenſuram Gelaſij Papæ & ſeptuaginta Epiſcoporum in Concilio Romano factam, qua iſtius Fauſti ſcripta iudicata ſunt apocrypha: & nihilominus addit Hormiſda hæc; *De arbitrio tamen libero & gratia Dei quid Romana, hoc eſt Catholica, ſequatur & aſſeueret Eccleſia, licet in varijs libris beati Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum poßit cognoſci*: tamen in ſcrinijs eccleſiaſticis expreſſa Capitula continẽtur; quæ ſi tibi de-

desunt, & necessaria creditis, destinabimus: quanquam *qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat euidenter cognoscat*. Data Idibus Augusti.

Ex his patet quid de scriptis Fausti censuerit Hormisda, & consequenter de reliquijs Pelagianismi; quantumuis (vt Gelasius Papa in Epist. ad Honorium dicebat) ad fallendum verisimilitudinis colore versutissimis. Constat certè, doctissimis Ecclesiæ Patribus libros duos Fausti de gratia & libero arbitrio, displicuisse vt subdolè scriptos, sic vt cum verbis damnet hæresim Pelagij, ipsam artificiosis vijs corroboret. Hinc aduersus eos scripserunt B. Fulgentius Ruspensis Episcopus, & Alcimus Auitus Episcopus Viennensis, vterque doctissimus theologus. De B. Fulgentio ita ipsius discipulus vitæ scriptor; c. 28. Ita erat notus omnibus gentibus, vt duo libri, quos Faustus Episcopus Galliarum, contra gratiam, subdolo sermone composuit, fauens occulte Pelagianis sed catholicus tamen volens videri, Constantinopoli offensi, à plurimis fratribus ad beatum Fulgentium dirigerentur. Quibus, ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit; plus laborans exponere quam conuincere: quia dubios sermones eius exponere, hoc erat delirantis argumenta conuincere. Magnus plane huius operis labor mercedem debitam cito suscepit: mox enim vt est dictatio ipsius finita, protinus est longissimæ captiuitatis catena disrupta.

Consonat his S. Isidorus Hispalensis in libro de viris illustribus c. 13. Fulgentius Afer, Ecclesiæ Ruspensis Episcopus, in confessione fidei clarus, in diuinis scripturis copiose eruditus, in loquendo quoque dulcis, in docendo ac disserendo subtilis, scripsit multa: e quibus legimus de gratia Dei & libero arbitrio libros Responsionum, septem; in quibus Fausto Galliæ Regiensis vrbis Episcopo, Pelagianę prauitati consentienti respondens, obnititur eius profundā destruere calliditatem. Hæc S. Isidorus. Imposuit sanè calliditas Fausti Erasmo, qui libros illos duos publicauit, putans esse catholici authoris: imposuit etiam alij, qui eos curans imprimi, titulum eis dedit Opus insigne. Quod vero attinet ad B. Alcimū Auitū Viennensē in Gallia Episcopum, ipsum contra Faustum istū commentarios doctissimos edidisse, testis est Gregorius Turonensis hist. lib. 3. c. 34. & Ado Viennensis in chronico, ante annum Christi 519. tametsi neque ipsius Commentarij neque S. Fulgentij libri septem hodie extent, suppressi fortassis opera Pelagianizantium.

CAPI-

CAPITVLA AB APOSTOLICA SEDE MISSA EPISCOPIS GALLIÆ, IN CONCILIO ARAVSIſicano ſecundo publicata.

CAPVT PRIMVM.



VM ad dedicationem Baſilicæ, quam illuſtriſſimus Præfectus & Patricius, filius noſter Liberius, in Arauſica ciuitate fideliſſima deuotione conſtruxit, Deo propiciante, & ipſo inuitante conueniſſemus; & de rebus quæ ad eccleſiaſticam regulam pertinent, inter nos fuiſſet ſpiritalis oborta collatio: peruenit ad nos, eſſe aliquos, qui de gratia & libero arbitrio minus cautè, & non ſecundum fidei Catholicæ regulam, ſentire velint. Vnde & nobis, ſecundum authoritatem & admonitionem ſedis Apoſtolicę, iuſtum & rationabile viſum eſt, vt pauca capitula, ab Apoſtolica nobis ſede tranſmiſſa, quæ ab antiquis patribus de certis ſcripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collata ſunt, ad docendos eos qui aliter quàm oportet ſentiunt, ab omnibus obſeruanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus. Quibus lectis; qui hucuſque non ſicut oportebat de gratia &

libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum suum inclinare non differat.

1. Si quis per offensam præuaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus & animã, in deterius dicit hominem commutatum; sed animi libertate illęsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium: Pelagij errore deceptus aduersatur scripturæ dicenti; Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et, Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis? &, A quo quis superatur, eius & seruus addicitur.

Ezech. 18. Rom. 6. 2. Pet. 2.

2. Si quis soli Adæ pręuaricationem suam, nõ & eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis (quæ pœna peccati est) non autem & peccatum, quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transisse testatur: iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

Ex c. 4. l. 4. cõt. duas epist. Pelag. Rom. 5.

3. Si quis inuocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, vt inuocetur à nobis; contradicit Esaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: Inuentus sum à non quærentibus me, palàm apparui his, qui me non interrogabant.

Esa. 65. Rom. 10.

4. Si quis, vt à peccato purgemur voluntatẽ nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per sancti Spiritus

ritus infusionem & operationem in nobis fieri confitetur; resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino. & Apostolo, salubriter prędicanti: Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

Prou. 8. Phil. 2.

5. Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis peruenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostrã ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem; sed naturaliter nobis inesse dicit: apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, beato Paulo dicente: Confidimus quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in diem Domini nostri Iesu Christi. Et illud: Vobis datum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Et, Gratia salui facti estis per fidem, non ex vobis: Dei enim donum est. Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem; omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

Aug. l. de præd. sanct. vsque ad c. 9. Phil. 1. Ibid. Eph. 2.

6. Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri diuinitus; non autem vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus

tus in nobis fieri confitetur; & aut humilitati, aut obedientiæ subiungit gratiæ adiutorium, nec vt obedientes & humiles simus ipsius gra-
1. Cor. 4. tiæ donum esse consentit: resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? Et, Gra-
Ibid. c. 15. tia Dei sum id quod sum.

Aug. c. 26. lib. de gratia Christ. 7. Si quis nos per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, siue salutari, id est, Euangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo & credendo veritati: hæretico fallitur spiritu: non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis; Sine me nihil potestis fa-
Ioan. 15. 2. Cor. 3. cere. Et illud Apostoli: Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

Cassian. 8. Si quis alios misericordia, alios verò per liberum arbitrium, (quod in omnibus qui de præuaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum) ad gratiam baptismi posse venire contendit; à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum; aut certè ita læsum putat, vt tamen quidam valeant sine reuelatione Dei, mysterium salutis æternę per semetipsos conquirere. Quod quàm sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testa-
Ioa. 6. tur, nisi quem pater attraxerit. Sicut & Petro
Mat. 16. dicit: Beatus es Simon Bariona, quia caro &

sanguis

sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et Apostolus: Nemo potest dicere Dominũ Iesum Christũ, nisi in Spiritu sancto. 1. Cor. 12.

De adiutorio Dei.

9. Diuini est muneris, cũ & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, vt operemur, operatur. Aug. in Psa. 118. ad vers. Cogitaui vias meas.

10. De adiutorio Dei. Adiutorium Dei etiã renatis ac sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perdurare.

De obligatione votorum.

11. Nemo quicquam Domino rectè vouerit, nisi ab illo accepit, sicut legitur: Quæ de manu tua accepimus, damus tibi. De ciui. Dei lib. 17. c. 4. 1. Par. 29.

Quales nos diligit Deus.

12. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito. Prosper sent. 54. Ep. 105.

De reparatione liberi arbitrij.

13. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde ipsa veritas dicit: Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Lib. 14. de ciui. Dei c. 11. Ioan. 8.

14. Nullus miser de quantacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præueni-tur; Aug. conc. 1. in

Psa. 58. tur; sicut dicit Psalmista; Citò anticipet nos mi-
Psa. 78. sericordia tua Domine. Et illud: Deus meus,
Psa. 58. misericordia eius præueniet me.

Aug. in tit. Psa. 68. 15. Ab eo quod formauit Deus, mutatur Adam, sed in peius, per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius, per gratiam Dei. Illa ergo mutatio,
Psa. 76. fuit præuaricatoris primi: hæc, secundum Psalmistam, mutatio dexteræ excelsi.

1. Cor. 4 De spir. & l. c. 28 16. Nemo ex eo quod videtur habere, glorietur, tanquã non acceperit: aut ideo se putet
Gal. 2. accepisse quia litera extrinsecus vel vt legeretur apparuit, vel vt audiretur, insonuit. Nam
Gal. 2. sicut Apostolus dicit, Si per legem iustitia; ergo Christus gratis mortuus est. Porrò autem si
Eph. 4. non gratis mortuus est: Ascendens in altum
Psa. 67. captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicunque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut verè non
Mat. 25. habet, aut id quod habet auferetur ab eo.

De fortitudine Christiana.

Aug. de patientia c. 17. 17. Fortitudinem gentilium mundana cupiditas; fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non
Rom. 5. Rom. 4. per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus.

Neminem nisi Deo miserante saluari.

Aug. ep. 106. 18. Debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant.

19. Na-

19. Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret; nullo modo seipsam, creatore suo non adiuuante, seruaret. Vnde quum sine gratia Dei, salutem non possit custodire quam accepit; quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?

Nihil boni hominem posse sine Deo.

20. Multa in homine bona fiunt quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet vt faciat homo. Cont. 2. epist. Pelag. l.2.c 8.

De *natura & gratia.* Q. n.

21. Sicut eis qui volentes in lege iustificari à gratia exciderunt, verissimè dicit Apostolus: Gal.2. Si ex lege iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est: sic & his qui gratiam quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur, Si ex natura iustitia; ergo Christus gratis mortuus est. Iam hîc enim erat lex, & non iustificabat: iam hic erat & natura, & non iustificabat: ideo Christus non gratis mortuus est; vt & lex per illum impleretur, qui dixit, Non veni legem soluere, sed adimplere: & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit venisse se quærere & saluare quod perierat. De grat. & li.ar.c. 13. Mat.5. Luc.19.

De *his quæ hominum propria sunt.*

22. Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque iustitiam; ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam inrorati, non deficiamus in via. Extra. 5. in Io.

De

De voluntate Dei & hominis.

Ex tra. 30. in Ioan.

23. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, vt diuinę seruiant voluntati; quàmuis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est à quo præparatur, & obitur quod volunt.

De palmitibus vitis.

Q. n.

Ioan 15. Ex August. super Ioannem tra. 81.

24. Ita sunt in vite palmites vt viti nihil conferant, sed inde accipiant vnde viuant. Sic quippe vitis est in palmitibus, vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc, & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest & non Christo. Nam præciso palmite, potest de viua radice alius pullulare: Qui autem præcisus est, non potest sine radice viuere.

De dilectione, qua diligimus Deum.

Tract. 102. in Ioan. Rom 5.

25. Prorsus donum Dei est, diligere Deum. Ipse vt diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes amati sumus, vt fieret in nobis vnde placeremus, Diffundit enim charitatem in cordibus nostris spiritus patris & filij, quem cum patre amamus & filio.

Cõclusio quadripartita, in qua deinceps loquitur Synodus. Q. n.

Ac sic, secundum suprà scriptas sanctarum scripturarum sententias, vel antiquorum patrum diffinitiones, hoc, Deo propiciante & prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum

nuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit; nisi gratia eum & misericordia diuina præuenerit. Vnde Abel iusto, & Noë & Abraham & Isaac & Iacob, omnique antiquorum sanctorum multitudini, illam præclaram fidem quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus, non per bonum naturę, quod prius in Adam datum fuerat, sed Heb. 11.
per gratiam Dei credimus fuisse collatam. Quam gratiam, etiam post aduentum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed in Christi nouimus simul & credimus largitate conferri; secundū illud quod iam supra dictum est, & prædicat Paulus Apostolus, Vobis donatum est pro Chri- Philip.
sto, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt 1.
pro illo patiamini. & illud: Deus qui cœpit in Ibid.
vobis bonum opus, perficiet vsque in diem Domini nostri. Et illud. Gratia salui facti estis Eph. 2.
per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est. Et quod de seipso ait Apostolus: Mise- 1. Cor.
ricordiam consequutus sum, vt fidelis essem. 7.
Non dixit, quia eram: sed, vt essem. Et illud: Quid habes quod non accepisti? Et illud. Omne 1 Cor.
datum bonum, & omne donum perfectum, 4.
desursum est, descendens à patre luminum. Et Iacob.
illud: Nemo habet quicquam boni, nisi illud 1.
illi datum fuerit desuper. Ioan. 3.
Innumerabilia sunt sanctarum scripturarum testimonia, quæ possint ad probandam gratiam proferri; sed breui-

tatis studio pretermissa sunt, quia & re vera, cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt.

Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quòd accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus; sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.

Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, vt & baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita, implere possimus. Vnde manifestissimè credendum est, quòd & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam reuocauit; & Cornelij centurionis, ad quem Angelus Domini missus est; & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed diuinę largitatis donum. Et quia definitionem antiquorum patrum, nostramque quę suprà scripta est, non solùm religiosis, sed etiam laicis medicamentum esse & desideramus & cupimus: placuit ergo vt etiam illustres ac magnifici viri,

Luc. 23. f Acto. 10. a Luc. 19. a

ri, qui nobiscum ad præfatam festiuitatem cōuenerunt, propria manu subscriberent.

CÆSARIVS in Christi nomine episcopus, constitutionem nostram relegi, & subnotans subscripsi, quinto Nonas Iulij, Decio iuniore viro clarissimo consule. Iulianus Episcopus subscripsi. Constantius Episcopus subscripsi. Cyprianus Episcopus subscripsi. Eucherius Episcopus subscripsi. Heraclius Episcopus subscripsi. Principius Episcopus subscripsi. Philagrius Episcopus subscripsi. Maximus Episcopus subscripsi. Prætextatus Episcopus subscripsi. Aletius Episcopus subcripsi. Lupercianus Episcopus subscripsi. Vmdemialis Episcopus subscripsi. Petrus, Marcellinus, Felix, Liberius viri clarissimi, & illustres pręfecti prętorij Galliarum, atque patritij, cōsentientes subscripserunt. Syagrius vir clarissimus cons. subscripsi. Opilio vir clarissimus cons. subscripsit. Pantagathus vir clarissimus cons. subscripsit. Deodatus vir clarissimus cons. subscripsit. Cariattho vir clarissimus cons. subscripsit. Marcellus vir clarissimus cons. subscripsit.

Conf. annot. ad titulum huius Cōcilij.

FINIS.

Quid Joannes secundus contra hæreticos.

IN epistola ad quosdam Romanos viros illustres, paulo post initium ita loquitur. *San-*

ctus

ctus Augustinus, cuius doctrinam, secundum prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & probat Ecclesia; in libro vndecimo de Ciuitate Dei, sic dicit: Credimus & tenemus, fideliter prædicamus &c. Extat hæc epistola Tomo 7. Baronij, anno Christi 534.

Quid S. Gregorius aduersus Pelagianismum.

S. GREGORIVS

HOMILIA 10. IN EZECHIELEM, QVÆ EST IN CAP. 2. EIVSDEM PROPHETÆ

ECce, postquam propheta similitudinem gloriæ Domini contemplatus, in faciem suam cecidit; adiungit: Et audiui vocem loquentis, & dixit ad me; *Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum.* Vbi adhuc subditur; *Et ingressus est in me spiritus, postquam loquutus est mihi, & statuit me super pedes meos.*

Ecce, diuina vox iacenti prophetæ iussit vt surgeret: sed surgere omnino non posset, nisi in hunc omnipotentis Dei spiritus intrasset: quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus; sed hæc implere non

non possumus, si ipse non adiuuat qui iubet. Sic Paulus cum discipulos admoneret, dicens, *Cum metu & tremore vestram ipsorum salutem operamini*: ilico quis in eis hæc ipsa bona operaretur, adiunxit, dicens: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate*. Hinc est quod ipsa veritas discipulis dicit, *Sine me nihil potestis facere*. Sed in his considerãdum, quia si bona nostra sic Omnipotentis Dei dona sunt vt in eis aliquid nostrum, non sit: cur nos quasi pro meritis ęternam retributionem quęrimus? Si autem ita nostra sunt vt dona Dei omnipotentis non sint: cur ex eis Omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum est quia mala nostra, solummodo nostra sunt; bona autem nostra, & Omnipotentis Dei sunt, & nostra: quia ipse aspirando nos præuenit vt velimus, qui adiuuando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus. Præueniente ergo gratia, & bona voluntate subsequente; hoc quod Omnipotentis Dei donum est fit meritum nostrum. Quod bene Paulus breui sententia explicat, dicens; *Plus illis omnibus laboraui*. Qui ne suę videretur virtuti tribuisse quod fecerat, adiunxit, *Non autem ego, sed gratia Dei mecum*. Quia enim cælesti dono pręuentus est; quasi alienum se a bono suo opere agnouit, *Non autem ego*: sed quia pręueniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono; quod libero arbitrio eandem gratiam est subsequutus in opere, adiunxit; *sed gratia Dei mecum*. Ac si diceret, In bono opere laboraui,

non ego; sed & ego. In hoc enim quod solo Domini dono preuentus sum; non ego: in eo autem quod donum voluntate subsecutus; & ego. His igitur breuiter contra Pelagium & Celestium dictis, ad exponendi ordinem redeamus. Hæc loco dicto S. Gregorius.

Idem libro 32. Moralium c. 8. alias 9. tractans verba Domini ad Iob quæ sunt cap. 40. v. 9. illa, *Et ego confitebor quod saluare te possit dextera tua*: ita loquitur; Ecce, diuina voce ad beatum Iob dicitur quod sua dextera non saluetur: & tamen nonnulli hominum qui ab huius viri viribus longe sunt, despecto Dei adiutorio, sua se fortitudine saluari posse confidunt. Pro quibus quid deprecari aliud debemus, nisi vt, si iam dona bonorum operum perceperunt; hoc quoque donum accipiant vt à quo hæc acceperint, discant?

Idem sanctissimus Pontifex idemque doctissimus, ad Anastasium Episcopum Antiochenũ, de pseudosynodo Ephesina per schismaticos Nestorio fauẽtes agitata; sic loquitur, Illa synodus quę sub primæ Ephesinæ imagine facta est, quędam in se oblata capitula asserit approbata, quæ sunt Cęlestij atque Pelagij prædicamenta. Et cum Cęlestius atque Pelagius in ea synodo sint damnati: quomodo poterant illa capitula recipi, quorum damnabantur authores? Ita Gregor. lib 7. ep. 47. Quod Synodus Ephesina dãnauerit Pelagianos, quod hic affirmat B. Gregori⁹, liquet apud Baroniũ Tõ. 5. an. Christi 431. diuersis locis, ex Actis illius Synodi.

Actio.

Actione enim ſeptima Synodus epiſtolā ſcri- pag.
pſit encyclicam ad vniuerſos Chriſti fideles; cui 593. b.
adiecit ſex canones, quibus ſignificauit ne quis ſe coniungeret cum Neſtorio vel eius partes tutantibus, vel ſectę Pelagianæ viris: qui vero ſecus fecerint, vt deijcerentur ab Epiſcopatu, iuſſit; & ſubiacerent anathemati.

Actione autem nona, quę fuit anno ſupra di- pag.
cto, die 23. Iulij, actum eſt de damnatione hæ- 594. b.
reſis Pelagianæ; lectique ſunt in primis Commentarij Romæ conſcripti ſub Cęleſtino Romano Pontifice, aduerſus eoſdem hæreticos: ex quorum prę ſcripto conſecuta eſt eiuſdem hæreſis damnationis conclamatio. Conſtat id ex Synodali epiſtola in hac ſeſſione ſcripta ad Cæleſtinum Romanum Pontificem. Eandem Pelagianorum damnationem in Concilio Epheſino factam commemorat S. Proſper in Chronico, ſuprà à nobis allegatus, vbi de Beato Cæleſtino Papa.

DECRETA CONCILII VALENTINI,

Q. n.

CELEBRATI A TRIVM PROVINCIARVM IN GALLIA Episcopis, Lugdunensis, Viennensis & Arelatensis, Anno Domini octingentisimo quinquagesimo quinto.

Capvt I.



1. Tim. 2.7. VIA Doctorem gentium in fide & veritate, fideliter commonentem obedienterque audiuimus:
1. Tim. 5. O Timothee, depositũ custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ; quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Et iterum prophana autem & vani-
2. Tim. 2. loquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem; & sermo eorum vt cancer serpit. Et
ibid. iterum: Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita; sciens quia generant lites: seruum autem Domini non oportet litigare.
Phil. 2. Et iterum: Nihil per contentionem neque per inanem gloriam: paci, quantum Deus dederit, & charitati studere cupientes, attendentes pium eiusdem apostoli consilium, Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: nouita-
Eph. 4. tes vocum & præsumptiuas garrulitates, vnde potius inter fratres contentionum & scandalorum

lorum fomes excitari poteſt, quàm ædificatio vlla timoris Dei ſuccreſcere ; cum ſtudio omni deuitamus : indubitanter autem Doctoribus piè & rectè tractantibus verbum veritatis, ipſiſque Sacræ Scripturæ lucidiſſimis expoſitoribus, id eſt Cypriano, Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, ceteriſque in Catholica pietate quieſcentibus, reuerenter auditum, & obtemperanter intellectum ſubmittimus ; & pro viribus quæ ad ſalutē noſtram ſcripſerunt, amplectimur. Nam de præſcientia Dei & de prædeſtinatione, & de quæſtionibus alijs, in quibus fratrum animi non parum ſcandalizari probantur ; illud tantum firmiſſimè tenendum credimus, quod ex maternis Eccleſiæ viſceribus nos hauſiſſe gaudemus.

CAPVT II.

DEVM præſcire & præſciſſe æternaliter & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali ſunt geſturi. quia vocem ſcripturæ dicentis habemus ; Deus ęterne, qui abſconditorum eſt cognitor, qui noſti omnia antequam fiant: Dan. 13. fideliter tenemus & placet tenere, bonos pręſciſſe omnino per gratiam ſuam bonos futuros, & per eādem gratiam æterna præmia accepturos : malos præſciſſe per propriam malitiam malos futuros, & per ſuam iuſtitiam æterna vltione damnandos : vt, ſecundum Pſalmiſtam, Pſa. 61. quia poteſtas Dei eſt, & Domini miſericordia, reddat vnicuique ſecundum opera ſua; & ſicut

Apoſto-

Apostolica doctrina se habet, his quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus, vi-
Rom. 2. tam æternam: his autem qui ex contentione, & qui non aquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnē animam hominis operātis malum. In eodem sensu, alibi: In reuelatione (in-
2. Thess. quit) Domini nostri Iesu Christi de cœlo, cum Angelis virtutis eius, in igne flammæ dantis vindictam his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi; qui pœnas dabunt in interitu æternas, cum venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Nec prorsus vlli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, vt aliud esse non possit: sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille, sicuti Deus, qui nouit omnia antequam fiant, pręs-
Dan. 13. cit ex sua omnipotentia & incommutabili maiestate. Nec ex præiudicio eius aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt: sed quia boni esse noluerunt; suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali, permanserunt.

CAPVT III.

SED & de prædestinatione Dei placuit & fideliter placet, iuxta authoritatem Apostolicam,

licam, quæ dicit: An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Vbi & ſtatim ſubiungit; Quod ſi volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta (ſiue pręparata) ad interitum; vt oſtenderet diuitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ pręparauit in gloriam. fidenterque fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam; & prædeſtinationem impiorum ad mortem: in electione tamen ſaluandorum, miſericordiam præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum, meritum malum pręcedere iuſtum Dei iudicium. Prędeſtinatione autem Deum ea tantum ſtatuiſſe, quę ipſe vel gratuita miſericordia, vel iuſto iudicio facturus erat; ſecundum ſcripturam dicentem: Qui fecit quę futura ſunt. In malis verò, ipſorum malitiam præſciſſe, quia ex ipſis eſt: non prædeſtinaſſe, quia ex illo non eſt. Pœnam ſanè malum meritum eorum ſequentem, vti Deum, (quia omnia proſpicit) præſciuiſe & prædeſtinaſſe; quia iuſtus eſt: apud quem eſt, vt Sanctus Auguſtinus ait, de omnibus omnino rebus tam fixa ſententia quàm certa præſcientia. Ad hoc ſiquidem facit ſapientis dictum: Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus. De hac immobilitate præſciétię & prædeſtinationis Dei, per quam apud eum, futura iam facta ſunt, apud Eccleſiaſten bene intelligitur dictum: Cognoui quod omnia

Rom. 9.

Iſaiæ 45. v. 11. iuxta 70.

Prou. 19.

Eccl. 3.

nia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum: non possumus his addere nec auferre, quę fecit Deus vt timeatur. Verum aliquos ad malum prędestinatos esse diuina potestate, videlicet vt aliud esse non possent; non solum nō credimus, sed etiam si sunt qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut
Post canonem 25. Arausica Synodus; illis anathema dicimus.

CAPVT IIII.

ITEM de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est, ita vt quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impijs qui à mundi exordio vsque ad passionem Domini in sua impietate mortui, & æterna damnatione puniti sunt, effusum definiant; contra illud Propheticum,
Osee. 13 Ero mors tua ô mors; ero morsus tuus inferne: illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, iuxta Euangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus de quibus ipse Domi-
Ioan. 3. nus noster dicit: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis; vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum,
Heb. 9. non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Apostolus: Christus (inquit) semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Porro capitula

pitula 4. quæ Concilio fratrum nostrorum minus prospectè suscepta sunt, propter inutilitatem vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati; sed & alia 19. syllogismis ineptissimè conclusa, &, licet iactetur, nulla sæculari literatura nitentia; in quibus commentum diaboli potius, quàm argumentum aliquod fidei depræhenditur; à pio auditu fidelium penitus explodimus: & vt alia similia caueantur per omnia, authoritate Spiritus sancti interdicimus. Nouarum etiam rerum introductores, ne districtius feriantur, castigandos esse censemus.

CAPVT V.

ITEM firmissimè tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium, ex aqua & Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, & iuxta doctrinam Apostolicam in morte Christi baptizata, in eius sanguine sit à peccatis suis abluta: quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret & vera redemptio; cum in Ecclesiæ Sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, & ipsa sui veritate ac synceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium & redemptorum, alios saluari æterna salute; quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes; Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: alios, quia noluerunt Matth. 10.

runt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt; redemptionisque gratiam potius irritam facere praua doctrina vel vita, quàm seruare elegerunt; ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo peruenire. In vtroque siquidem
Rom. 6. doctrinam pij doctoris habemus: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et, Omnes qui in Christo
Gal. 3. baptizati estis, Christum induistis. Et iterum:
Heb. 10. Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, adspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda; teneamus spei nostræ cõ-
Ibid. fessionem indeclinabilem. Et iterum: Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiã veritatis, iam non relinquitur pro peccatis ho-
Ibid. stia. Et iterum: Irritam quis faciens legẽ Moysis, sine vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur: Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?

CAPVT VI.

ITEM de gratia per quam saluantur credentes, & sine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit; & de libero arbitrio, per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Iesu fidelibus eius redintegrato & sanato, idipsum constantissimè, & fide plena fatemur,

temur, quod sanctissimi Patres authoritate sacrarum scripturarum nobis tenẽdum reliquerunt: quod Africana, quod Arausica Synodus professa est, quod beatissimi Pontifices Apostolicæ sedis, Catholica fide tenuerunt. Sed & de natura & gratia, in aliam partem nullo modo declinare præsumentes; ineptas quæstiunculas, & aniles penè fabulas Scotorum, quæ plures puritati fidei nauseam inferentes, quę periculosissimis & grauissimis tẽporib⁹, ad cumulũ laborum nostrorum vsque ad scissionem charitatis, miserabiliter & lachrymabiliter succreuerunt; ne mentes Christianę inde corrumpãtur, & excidant à simplicitate & castitate fidei, quæ est in Christo Iesu; penitus respuimus; & vt fraterna charitas, cauendo à talibus, auditũ castiget, Christi amore monemus. Recordetur fraternitas malis mundi grauissimis se vrgeri; messe nimia iniquorum, & paleis leuium hominum se durissimè suffocari. Hæc vincere ferueat, hæc corrigere laboret; & superfluis cœtum piè dolentium & gementium non oneret: sed potius certa & vera fide, quod à sanctis patribus de his & similibus sufficienter prosecutum est, amplectatur.

2. Cor. 11.

ANNO.

ANNOTATIONES HISTORICÆ, ET PRIMVM IN EPISTOLAM B. CÆLESTINI PAPÆ, DE IPSIVS TITVLO.



D S. Augustinum sub extremum vitæ ipsius, scripserant sancti & doctissimi viri Prosper & Hilarins, postea in Gallia Episcopi ambo; conquerentes de quibusdam Massiliæ & aliorum in Gallia locorum presbyteris, Catholicis quidem sed per inprudentiam reliquias Pelagianę prauitatis fouentibus: qui eos qui tunc editi erant, ipsius Augustini de gratia & prædestinatione diuina libros carpebant. Propter hos igitur Sanctus Augustinus, ad illos eosdem sanctos viros, nouum opus edidit duorum librorum; quorum prior habet titulum, De prædestinatione Sanctorum; posterior, De dono perseuerantię. Quibus libris hoc potissimum docetur, Ipsum etiam initium fidei qua Christiani sumus, Dei gratiæ esse adscribendum; &, finalem in bono perseuerantiam, similiter. Hoc eorum esse argumentum principale, liquet ex prioris libri c. 2. & 21. necnon ex libri posterioris cap. 24. Verum hi duo libri quum in manus illorum presbyterorum venissent; adeo eos non pacauerunt, vt maiore etiam studio, ac pertinaciter aduersus Sancti Augustini Doctrinam non so-

lum

lum sentirent, sed etiam docerent & prædicarent; fieretque hoc modo Ecclesiarum dissensio. Qua de causa illi ijdem Prosper & Hilarius Romam se contulerunt ad S. Cælestinum tunc summum Pontificem, B. Augustino interea defuncto: eumque tota de re diligenter edocuerunt, vtque his malis remedium efficax Apostolica authoritate adferret, obnixè rogauerũt. Is, pro munere pastoralis generalisque sui officij, hanc Galliæ Episcopis scribit epistolam, in qua S. Augustini doctrinam aduersus factiosos illos repræhensores tuetur; ijsque per Episcopos vult imponi silentium: atque tam prędecessorum suorum summorum Pontificum definitiones quàm suam ipsius, illis mittit; quibus velit omnes acquiescere qui velint esse & haberi Catholici. Quæ omnia quo ordine sunt commemorata, in hac epistola facile est obseruare.

HIC est Cælestinus ille, Papa huius nominis primus, qui Pelagianismo strenuè restitit, sequutus suorum prędecessorum exempla, Sanctorum Innocentij primi, Zosimi, & Bonifacij primi. Nam inter cętera, Palladium suum Diaconum; & post eum, S. Germanum Antissiodorensem Episcopum, vt suum vicarium, in Britanniam misit ad debellandam hæresim Pelagianam ibi tum pullulantem. Quod & factum est per hos sanctos viros, simul cum S. Lupo Trecẽsi Episcopo: doctrina, & miraculis diuinitus per eos factis. Videatur Baron. anno Christi 429. in princ. & quos ibi citat. Videatur

tur

tur etiam Martyrol. Rom. cum Notis Baronij, die 29. & 31. Iulij. Hic idem Cælestinus est, qui Constantinopolitanum Episcopum Nestorium hæresiarcham, indicta generali Synodo Ephesina, condemnauit & loco mouit. Celebratu viri sancti ad Dominum transitus, in Martyrologio Romano, die sexto Aprilis.

In Tomo primo Conciliorum editionis Venetæ, huic epistolæ præfigitur iste Titulus, *Epistola Cælestini Papæ prima, ad Episcopos Galliæ.* Et prima epistolæ verba eum titulum confirmant: vt nimis ieiunum sit quod nonnulli in ipso titulo posuerant, *Ad quosdam Galliarum Episcopos.* Qui ijdem in hoc quoque errauerant quod ponebant in titulo, hanc Epistolam fuisse scriptã Pro *Prospero & Hilario*; quũ *pro B. Augustino* scripta sit aduersus eos quos diximus ipsius sugillatores; & simul in ea colligantur Apostolicæ sedis definitiones aduersus nouitates Pelagianas.

Lavdant magnopere hanc B. Cælestini Epistolam, S. Prosper scribens contra Collatorem, sub finem opusculi: & Vincentius Lirinensis illi coætaneus, sub finem sui libelli. Meminit & Photius huius Epistolæ in sua Bibliotheca; vbi ait de ipso Cælestino: *Scripsit quoque ad Episcopos Galliarum de fide sancti Augustini.* Atque hi omnes generali titulo hanc Epistolam inscribunt, *Ad Episcopos Galliarum.* Quare nemo mirabitur, si videat hic eidẽ Epistolæ datã hanc epigraphen; *S. Cælestini Papæ pro B. Augustino, & de gratia Dei, Epistola ad Galliarum Episcopos.*

In

IN CAPVT. I.

IN Tomo primo Conciliorum nihil singulis capitibus præponitur, tanquam Summarium: vt neque in ea Pontificalium epistolarum collectione, quam superioris sæculi anno 1536. Basileæ curauit edi Ioannes Sichardus.

VENDICARE *doctrinam*) Ita legitur Tome 1. Conciliorum, & in collectione illa Sichardi: pro quo alij, *vindicare*, minus aptè ad sensum.

QVI, *si ita est discipuli non fuerunt? Si ita est*, nimirum vt Prosper & Hilarius apud nos sunt conquesti vt paulo antè dicebatur.

MERITO *namque causa nos respicit, si silentio foueamus errorem.* Ita reposuimus ex Vincentij Lirinensis cap. vlt Quod verò ait, *nos*, in persona Episcoporum dicit Cælestinus; vt liquet ex his que paulo pòst sequutur, ibi; *in collegium nostrũ.* id est, in collegium Episcoporum. Vult autem dicere, Episcopos contrahere peccatum alienum, quando presbyteris errores seminantibus ipsi silent.

CONANTVR *sæpe naufragio mergere*) *Conantur*, scilicet, qui huiusmodi sunt. *mergere*, eos nimirum, quos &c. Apud Sichardum legitur *emergere*: sed sensus qui inde resultat, non congruit contextui sermonis huius.

NISI *forte illud obsistat*) Quod hic B. Cælestinus sub dubio relinquit; id postea certò cognitum, in Galliarum Episcopis repræhendit; epist.

epist. ad eosdem secunda, c. 3. & citatur à Gratiano dist. 59. Ordinatos verò quosdam.

QVID *sibi debeant vendicare*. Ita Tomus 1. Concil. & Sichardus. *Vendicare*, inquam: id est, tanquam proprium adsumere.

AD fratris Tuentij dedimus scripta responsum. Quis & cuius loci fuerit Episcopus, iste Tuentius; fateor mihi hactenus ignotum; vt fuit Baronio, anno Christi 431. vbi de hac Cælestini Epistola agit. Quodnam est autem istud B. Cęlestini Responsum, quod dederat ad propositiones Episcopi Tuentij? Qui omnia diligenter considerabit, non dubitabit illud Responsum contineri capitibus tertio & sequẽtibus huius, Epistolæ. Nam ipsa quidem Epistola manifestè finitur fine capitis secundi. Restat igitur vt quę sequuntur post caput secũdum, diuersum quid sint ab hac propriè Epistola. Quid autem aliud, quàm Responsum antea datum ad Tuentium Episcopum? Præsertim cum Cælestinus Papa sese illud responsum dicat repetere. Sic enim loquitur: *Super his multa iam dicta sunt eo tempore, quo ad fratris Tuentij dedimus scripta Responsum. Nunc tamẽ repetentes, sæpius admonemus vt vetentur* (Ita Sichardus) *huiusmodi, qui laborant per terras aliud, quam ille noster iussit agricola, seminare.* Confer ea quæ dicuntur à nobis ad initium dicti cap. 3. Quod autem hic pro *vitentur*, ex Sichardo reponimus *vetentur*: quiuis videt superioribus magis congruere. Sermo enim est ad Episcopos, vt prohibeant suis presbyteris turbulentas nouitates prædicare.

QVI

QVI *nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dißipare.*) Hoc pręcipuè propter S. Augustinum, quem tunc defunctum lacerabant isti nouatores, dixit Cælestinus Papa : vt constat ex his quæ proximè sequuntur.

IN CAPVT II.

IN *nostra communione semper habuimus*) Meritò ita loquitur Cælestinus, annum iam agens in Põtificatu octauum ; S. Augustino demum defuncto anno proximo ante hanc Epistolam scriptam, id est, à Christo nato 430. quum Cælestinus creatus esset Pontifex anno Domini 423. tertio nonas Nouemb.

EXTAT S. Augusti ad ipsum recens creatum Epistola gratulatoria, numero 261. quòd pacifica fuisset electio, secus quàm fuerat prædecessoris eius S. Bonifacij primi, turbata nimirum schismate Eulalij. Et antequam Cælestinus esset Pontifex, fuerat vtique ex numero pręcipuorum presbyterorum Romanę Ecclesię; conscius proinde negociorum maioris momenti quæ à prædecessoribus ipsius fuerant tractata: vnde & hac ratione, meritò nunc dicit, *In nostra communione semper habuimus*. Huc faciunt illa sequentia, *Quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos etiam à meis semper decessoribus haberetur. Vnde resistẽdũ talibus.*) quales scilicet dixi verbis vltimis capitis 1. *Male crescere*) quia per depressionem verorum Ecclesiæ Magistrorum, eorumque optimorum.

NON *est agentium causa solorum: Vniuersalis Ecclesia quacunque nouitate pulsatur.* q. d. Hæc causa non tangit duntaxat Prosperum & Hilarium, qui apud me de presbyterorum vestrorum nouitatibus, & in Sanctum Augustinum maledictis, sunt conquesti: sed vniuersalem Ecclesiam tangit, quia nouitas est in doctrina religionis; ideoque ego B. Petri successor illam ad meam curam debeo reuocare.

CÆTERVM, quum hæc B. Cælestini Epistola per Gallias esset sparsa: presbyteri isti nouatores prauis interpretationibus hanc B. Augustini laudationem conabantur corrumpere; ne videlicet cogerentur recipere S. Augustini libros duos, De prædestinatione Sanctorum, &, De dono perseuerantiæ, quos ille propter istos presbyteros sanandos scripserat. Eorum tergiuersatorias interpretationes est videre apud Prosperum, sub finem libri contra Collatorem: vbi & refutantur. Videre est cap. 43. & 44.

QVEM Prosperi locum omnino debet pius lector inspicere: nos breuitati studentes huc non transcribimus. Videat etiam cap. 41. & 42.

ITEM videatur quod ex S. Hormisda Papa in epistola secunda ad Episcopum Possessorem, allegamus, sub finem: vbi hos libros, nominatim probat imo, præfert reliquis.

IN CAPVT III.

QVÆ sequuntur, sunt B. Cælestini, partim recitantis definitiones suorum prædecessorum,

ſorum, partim ſuis verbis vtentis in definiẽdo. Quod autem in Tomo 1. Conc. per quempiam annotatum eſt, ſequentia eſſe Proſperi; idque non reijcit Baronius, ad annum 431. vbi huius epiſtolæ meminit: hoc refutatur per ea quæ sũt in fine cap. 1. vt diximus. refutatur item ex principio capitis 10. vbi ſic legitur: *Illud etiam quod inter Cartaginenſis Synodi decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apoſtolicæ ſedis amplectimur.* Nec enim Proſperum iſte ſermo decuiſſet. Poteſt etiam refutari ex ipſius Cæleſtini epiſtola ad Maximianum Conſtantinopolitanum, deiecto Neſtorio, Epiſcopum; vbi eum exhortans ad repellendos Pelagianos, hæc de ijs dicit, inter cętera: *Tanquam non illis ſententia toties repetita ſufficiat; longinquas terras remotaſque prouincias inquietant.* Quibus verbis ſignificat à ſe quoque per ſententiam ac definitionem fuiſſe damnatos. Eſt autem iſta Epiſtola ſcripta anno Chriſti 432. quum illa ad Epiſcopos Galliæ miſſa fuerit anno pręcedente. Liquent iſta ex Baronio, in horum annorum hiſtoria, Tomo 5. Adde, quod ſi hęc quę deinceps ſequuntur forent Proſperi: is non omiſiſſet nominatim citare definitionem ipſius Cęleſtini; vt fecit peculiarem eius mentionem in fine opuſculi aduerſus Collatorem. Nec enim exiſtimare poſſumus quod vna cum ſua epiſtola ad Epiſcopos Gallię Pontifex ad eoſdem miſiſſet Collectionem aliquam ipſius (tunc nondum Epiſcopi) Proſperi; ſed aliquanto poſt tempore ea facta fuiſſet, vt & alia pleraque ipſius aduerſus Pelagianos ſyn-

tagmata, ſub Xiſto tertio Papa. Quare, in hac collectione nominatim meminiſſet Proſper Cæleſtini; ſi ipſe eius author eſſet. Denique huius epiſtolę caput vltimum, non ſonat Proſperum, tunc nondum Epiſcopum: ſed Pontificem potius ſupremum.

CONTRA *nocentiſsimos liberi arbitrij defenſores.*) Non vult omnem eum qui liberum defendit arbitrium, eſſe noxium: ſed deſignatè loquitur de illis liberi arbitrij defenſoribus, qui illud ſic tuebantur, vt ad opera coram Deo bona faciēda, gratiam dicerent non eſſe neceſſariam, vel eam libero arbitrio ſubijcerent ac poſtponerēt. Nam contra tales demum liberi arbitrij defenſores, Romanę Eccleſiæ rectores quid de Gratia Dei ſentiendum eſſet, cenſuerunt.

AFFRICANORVM *Conciliorum*) Confer initiū cap. 10. & quæ ibi notamus.

SI *cum Catholicis credat, & dicat:*) Pendet oratio, & completur initio capitis ſequentis. Ex hoc eodem imperfecto fine capitis tertij pendent initia capitum quinti, ſexti, & ſequentiū. Ne lector putet Cæleſtinum, cuius ea ſunt, ſui eſſe oblitum.

IN CAPVT IIII.

IN *præuaricatione Adæ omnes homines naturalem poßibilitatem, & innocentiam perdidiſſe.* Per *naturalem iſtam poßibilitatem* non intelligere Cæleſtinum, liberum arbitrium; patet ex verbis proximè ſequentibus, quibus in humano genere poſt

post primam illam præuaricationem agnoscit disertè liberum arbitrium, sed insufficiens ad hominem à ruina erigendum. Et initio cap. 7. ait Cælestinus; *Quod nemo, nisi per Christum, libero bene vtatur arbitrio.* Sentit igitur remansisse. Quidnam igitur intelligit? Potentiam propinquam bene & salutariter operandi; nempe quæ posita sit in viribus præsentibus satis efficacibus; ideoque in dono gratiæ diuinę. Cur vocat eam naturalem? Quia cum ipsa natura incepit; quia erat naturæ conuenientissima. Nam natura humana in sui prima institutione hoc dono gratuito fuit exornata, eoque insigniter perficiebatur. Porro aliâ notione erat supernaturale: vtpote neque naturæ debitum, neque naturæ vi exortum. Illa primæ creationis munera, etiam alij veteres, iuxta allatam rationem vocauerunt *naturalia.* vt S. Leo serm. 1. de ieiunio decimi mensis; vbi ait, hanc esse *naturalem* nostri generis dignitatem; si in nobis, quasi in quodam speculo, diuinæ benignitatis forma resplendeat. Non dissimiliter loquitur B. Thomas 1.2.q.85.art. 3. in c. & ad 3. Item 2.sec.q.34. art.5.in c. Videtur autem Cælestinus his verbis vti; vt contradictione expressa resistat sermoni Semipelagianorum, quo illi inquiebant, tantā esse integritatem virium naturę humanæ, vt contra ipsum diabolum sæuitiamque eius, vsque ad extrema supplicia, sine auxilio Dei, valeat dimicare. Tum addebant, *hanc possibilitatem* in omnibus esse hominibus *naturalem*: sed non omnes ingeneratis sibi vti velle virtutibus. Ita

 eorum

eorum sententiam refert Prosper, contra Collatorem. c. 40.

Qvæ hoc capite & duobus sequentibus ex Innocentio primo allegat Cælestinus, sunt in Epistola quæ inter Augustini est 91. in ordine autem Epistolarum ipsius Innocentij, in Tomo 1. Conciliorum, est 25.

Qvibvs in locis nonnulla paulo aliter leguntur, quàm hic: siue ea diuersitas sit a Cælestino siue a scribis; sensum sanè non mutat.

In Capvt V.

NAM *quid nos.*) Hic locus in ipsa Innocentij primi Epistola ita legitur: *Nam quid nos post hac rectum de eorum mentibus æstimemus, qui sibi se putant debere quod boni sunt; nec illum considerant cuius quotidie gratiam consequuntur? sed iam isti qui tales sunt, nullam Dei gratiam consequuntur: quia sine illo tantum assequi se posse confidunt, quantum vix illi qui ab illo postulant & accipiunt, promerentur.*

In Capvt VI.

NECESSE *est enim, vt quo auxiliante vincimus*) Louuaniensis apud Grauium editio huius Epistolę Cælestini, hic *vicimus*, habet: ita legitur & in Collectione Sichardi. Sensus tamen vix mutamur.

In

IN CAPVT VII.

EPISTOLA Innocentij primi quam hic allegat Cælestinus, extat inter Augustini numero 93. Inter vero ipsius Innocentij Epistolas in Tomo 1. Conciliorum, est 26.

IN CAPVT VIII.

QVÆ hic citatur B. Zosimi Papæ Epistola, hodie non extat: sed præter Cælestinum, qui particulam eius hic recitat; meminit ipsius ac nonnulla inde allegat S. Augustinus Epist. 157. sub finem. & S. Prosper contra Collatorem c. 10. & 41. Quo capite 10. idem meminit Epistolæ Africanorum Episcoporum ad Papam Zosimum, ex qua hic bonam partem recitat Cælestinus: tametsi nec illa hodie extet.
SCIAT autem Lector, id quod sub finem sententiæ illius, dicunt Africani Episcopi, *Præparatur voluntas a Domino*, testimonium esse sacræ scripturæ; quo sæpissimè vtuntur veteres Ecclesiæ doctores ij qui aduersus Pelagianos scripserunt. Extat iuxta 70. Interterpretes, Prouerb. 8. in fine, vbi nos habemus: Hauriet salutem à Domino.

IN CAPVT IX.

EX eadem B. Zosimi generali ad totius orbis Episcopos Epistola, etiam hęc citantur à Cęle-

à Cęlestino Papa: & si ea non extet. Curæ sit lectori vt hoc caput, cum præcedente, & ijs quæ deinceps sequuntur, singulari meditatione ruminet atque perpendat.

In Capvt X.

QVÆ tria capitula hic recitat B. Cælestinus ex Cartaginensi synodo; desumpta sunt ex illis octo, quæ prius quidem in Cartaginensi Concilio, deinde eadem in Concilio Mileuitano prouinciæ Numidiæ, fuerant conclusa, & missa ad Innocentium primum, ab eoque probata. Vide inter S. Augustini Epistolas 92. & 93. Cum autem multa fuerint Concilia Cartaginensia; illud hic est intelligẽdum quod fuit celebratum anno Christi 416. Mileuitanum verò secundum, quod eodem anno sed paulo post Vtrumque horum bene probat Baronius Tomò 5. anno illo Domini 416. in princ. Mileuitanum prius fuerat habitum anno Domini 402. quando nondum emerserat Pelagius.

In fine huius capitis, legendum est: *Vbi non dit, Sine me difficilius potestis facere*; sed, *Sine me nihil potestis facere*. Ita legitur in horum octo capitulorum editione Grauiana, Tomo priore Opusculorum S. Augustini & res ipsa loquitur ita legendum. Eodem modo legitur in ipso Concilio Mileuitano, Tomo 1. Concil.

IN

IN CAPVT XI.

HOC Capite B. Cælestinus Papa (qui solus deinceps vsque ad finem Epistolæ loquitur) diuinæ gratiæ vim & necessitatem probat ex Ecclesiæ precibus ad Deum fusis, & ex gratiarum actione quam illi persoluit.

Exemplo B. Cælestini, possumus nos eos qui de verè efficace Dei gratia tam strigosè philophantur, requirere & adiurare vt obsecrationum sacerdotalium sacramenta respiciant, quę in vniuersa catholica Ecclesia vniformiter celebrantur: vt legem credendi lex statuat supplicandi. Perpendant ergo,

Orationem Canonis præuiam sumptioni corporis Domini, quam sacerdotes quotidie dicunt, illam, Domine Iesu Christe.

Perpendant preces,

Dominicæ sextę post Epiphaniam.

Secretam sabbati ante Dominicam passionis.

Preces die parasceues.

Domin. 3. 4. 5. post Pasca.

Domin. intra octauam Ascensionis.

Domin. post Pentecosten 3. 5. 6. 9. 13. 18. 22.

Collectam de virgine martyre, Deus qui.

Collectam Deus omnium fidelium pastor & rector, quæ est pro Papa.

Et in primis Orationem Dominicam, vt monet S. Aug. de gratia Christi, c. 35. 37. 38. 39. 40. 41.

IN

In Capvt XII.

HOc capite Pelagianos errores redarguit ex ritibus quos vniuersalis Ecclesia circa baptizandos, obseruat; tanquam ex euidente testimonio. Deinde concludit totam hanc ad Episcopi Tuentij scripta Responsionem atque Definitionem.

QVIBVS *ab initio fidei, attenditur*) *attenditur* dixit, pro incumbitur, inuigilatur; impersonaliter. Ita sumitur verbum *attendendi*, in illa Apostoli sententia; *dum venio, attende lectioni, exhortationi & doctrinæ* In priore ad Timoth. c. 4. In Tomo 1. Chrysostomi est Homilia de Adam & Eua, sub cuius finem ad verbum resumuntur quæ sunt in hac epistola hic cap. 11. 12. 13. vbi sic legitur, quibus ab initio fidei *ad Deum tenditur, Deum prof.*

In Capvt XIII.

INCVRRENTIVM *quæstionum*) In Tomo 1. Concil. & in Collectione Sichardi, pro *incurrentium*, legitur occurrentium.

QVAS *latius pertractarunt*) *Quas*, partes scilicet profundiores difficilioresque occurrentiũ quæstionum.

SICVT *non audemus contemnere*) Obserua, lector, modestiam sanctissimi & doctissimi Pontificis Cælestini: eamque imitare.

ITA *non necesse habemus astruere*) Apostolica

scilicet

ſcilicet definitione; quo modo aſtruximus ſuperiora, noſtrorum prædeceſſorum & noſtra ipſorum. Quæ aſtructio, ſequentibus verbis breuiſſimè iteratur; dum dicitur, *Diuinæ gratiæ operi ac dignationi nihil penitus eſſe ſubtrahendum*: & dum ait Pontifex, *ſe prorſus non opinari catholicum, quod apparuerit præfixis ſententijs eſſe contrarium.*

Durante Concilio Epheſino ſub S. Cæleſtino Papa, quid Neſtoriani ſub nomine Synodi fecerint pro reſtituendo Pelagianiſmo, vide Baronium Tomo 5. anno Chriſti 431. pag. 589. & ſequentibus.

IN EPISTOLAM B. LEONIS 84. ALIAS 86.

PHotius in Bibliotheca, poſtquam dixiſſet, hæreſim Pelagianam ſæpe extinctam, ſub Leone Pontifice iterum pullulantem, prorſus fuiſſe deletam eo adhuc viuente, idque opera ſancti Proſperi: addit hæc; *Scripſit & ſanctus Leo Romanus Epiſcopus de Pelagianis, quo modo debeant recipi quando conuertuntur: ſcriptis ſuam opinionem damnantes*. Quibus ille verbis hanc beati Leonis Epiſtolam haud dubiè deſignat; eiuſque argumentum ſummatim exponit.

Sed inſuper continet hæc epiſtola acrem Epiſcoporum reprehenſionem, qui Pelagianos in communionem receperant, non præuia abrenunciatione erroris; ac verſutiam iſtius ſectæ ob oculos ponit.

CAP.

CAPVT II.

OMniaque decreta synodalia quæ, ad excisionem hæreseos, Apostolicæ sedis confirmauit authoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, planis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus, eloquantur. Loquitur de his quæ in diuersis Africę Concilijs, & in Synodo his anteriore Diospolitana Palesthinæ prouinciæ, fuerant contra Pelagium & Cœlestium definita: & ab Innocentio primo, Zosimo, Bonifacio, Cælestino, Xisto tertio, suis prędecessoribus probata & confirmata. De quibus, bona ex parte, in superioribus annotationibus, inque B. Cælestini epistola, iam dictum est.

Quoniam nouimus hanc istorum esse versutiam.) Hæc periodus variè legitur in exemplaribus impressis. Louaniensis impressio anni 1566. ita habet: *Quoniam nouimus hanc istorum esse versutiã, vt in quacumque particula dogmatis execrandi, quæ se à damnatorum societate discreuerint, nihil sibi sensuũ suorum existiment esse non saluum.* Eodem modo legitur in Tomo 2. Concil. editionis Venetæ, excepto quòd pro istis verbis, *qua se à damnatorum societate discreuerint*; habeat, *quam à damnandorum societate discreuerint*. Collectio verò Sichardi ea in parte non discordat à Louaniensi editione; sed in commate præcedente omittit illas duas voculas, *vt in*; hoc modo, *Quoniam nouimus hanc istorum esse versutiam, quæcunque particula dogmatis execrandi, &c.*

QVA

QVA varietate considerata; nobis, simul perpendentibus quid proxime precedat, quid proximе sequatur: videtur S. Leo totam hanc periodum scripsisse hoc pacto: *Nihil in verbis eorum sit obscurum, nihil inueniatur ambiguum: quoniam nouimus hanc istorum esse versutiam, vt in quacunque particula dogmatis execrandi se à damnatorum societate discreuerint: nihil sibi sensuum suorum existiment esse non saluum.*

Quid velit S. Leo, vtcumque intelligitur: & magis etiam perspicitur ex proxime sequente periodo, ista:

Cumque omnes definitiones suas, ad subreprendi facilitatem, improbare se simulent atque deponere: hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, vt gratia Dei secundum merita dari accipientium, sentiatur. Sic enim tota sententia legitur in Tomo 2. Concil. planè aperta: cum Sichardi Collectio pro illo *subrependi* habeat *tantam*: Louaniensis editio, *subrepentem*: vtrumque vitiosè. Sensus igitur est, In quacumque particula dogmatis execrandi se à damnatorum societate discreuerint, verbis condemnando quemcunque ex suis articulis; nihil sibi sensuum s. e. esse non saluum. Habetur ea explicatio ex verbis proximè sequentibus, & ex B. Prospero contra Csll. in fine.

CAPVT III.

STATIM postea, *Non ex operibus bonis ne forte &c.* ILLVD *bonis*, sicut abest ab Apostoli verbis,

bis, sic & à Tomo 2. Concil. & à Collectione Sichardi: additur autem in verbis proximè sequentibus: *Creati in Christo Iesu in operibus bonis, &c.*

Sequentes duæ periodi, in magna exemplariũ varietate, sic legãtur: *Omnis itaque bonorũ operũ deuotio, diuina præparatio est: nec propria quisquam iustificatur virtute: quoniam gratia vnicuique principium iustitiæ, & bonorum fons atque origo meritorum est. Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præueniri: vt, quæ ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata.* Illud *deuotio*, est in collectione Sichardi. Illud *Preparatio*, est trium codicum: Louaniensis, Veneti, Sichardi. Quod deinde sequitur vsque ad finem prioris periodi, est Louaniensis & Sichardi. in posteriore periodo illud *præueniri*, est Louaniensis editionis: suppositum autem verbi *dicitur*, subauditur, nempe *gratia* Illud *quæ*, est Sichardi: subintelligitur verò *natura*, ex præcedente sententia. *Ante gratiam*; est Venetæ impressionis & codicum indicatorum per Louanienses in margine. *Clara*, est eiusdem, atque etiam Sichardi.

IN CAPVT IIII.

PArentum quoque peccatis. *quę hic dicit B. Leo ea sumpsit ex S. Augustino cap. 46. Enchir. vide Estium in 2. sent. dist. 33. § 2. Et B. Thomam 1. sec. q. 81. art. 2. S. Aug. negatiuè respondet De pecc. mer. 1, 15. in fine.

In

IN CAPVT V.

CAVENDVM *ergo dilectioni tuæ.*) Conclusio est Epistolæ, & in fine nouo argumento ea corroboratur: ibi, *Non autem dubitet dilectio tua, & quæ sequuntur.* Vnde capitulum vnum in suam Decretorum collectionem retulit Gratian. dist. 86. Inferiorum culpæ. Legitur eadem ijsdem verbis sententia apud eundem Leonem Epist. 3. in fine.

IN CANONES CONCILII ARAVSICANI SECVNDI.

IN 2. Tomo Csnciliorum, & in Louaniensi Opusculorum S. Augustini impressione, erat talis titulus; *Canones Coucilij alterius Arausicani, circa tempora Leonis Papæ primi.* At Baronius Tomo 6. Annal anno Christi 463. *§ Hoc eodem anno celebrata est* &c. ponit hoc Concilium sub Hilaro Papa, qui S. Leoni proximè successit. postea idem, re omni pensiculatius expensa, in additionibus quas Tomo 10. subnexuit, illud ponit sub S. Felice Papa quarto, celebratum anno Christi quingentesimo vigesimo nono.

Id quod omnino tenendum est: quum idoneis confirmetur argumentis. Quorum primum ducitur ex subscriptione primi Episcopi eorum qui huic Concilio interfuerunt, Cæsarij; in qua dicitur eam factam quinto nonas Iulij, Decio iuniore viro Clarissimo Consule. est autem annus Domini quem diximus, 529. quo Decius Iunior fuit Consul Occidentalis; Iustinianus Imper. Consul Orientalis. Cassiodorus solummodo illum: Marcellinus hunc

duntaxat nominat Consulem: sed ille Occidẽtis; hic, Orientis intelligendus est nominasse. Alterum argumentum, ex ipso Cæsario est, qui primus hic subscribit, ille nimirum Arelatensis Episcopus, sanctitate celeberrimus, Metropolitanus prouinciæ suę. Nam ipsum floruisse post annum Domini quingentesimũ, liquet ex varijs Gallicanis synodis quibus subscripsit; liquet ex diuersis illius temporis literatis viris, qui ad ipsum aut de ipso scripserunt; liquet item ex ipsius vita per discipulum Cyprianum fideliter scripta. Confer Baron. in Notis ad Martyrol. Romanum die 27. Augusti. Nam is est B. Cæsarij huius dies natalitius. Tertium argumentum est ex subscriptione Liberij, viri patritij & Pręfecti prætorio Galliarum; cuius est mentio etiá initio capitis primi, qui in ciuitate Arausica Basilicam construxerat. Constat autem istum Liberium vixisse post annum Domini quingẽtesimum; ex Cassiodoro Lib. 2. Epist. 15. Lib. 8. Epist. 6. & ex epistolis Ennodij Ticinensis 274. & 284. ad hunc eundem Liberium. Liquet porro Ennodium præfuisse Ecclesiæ Ticinensi tẽpore Hormisdæ Põtificis, à quo semel iterumque missus est Constantinopolim ad Anastasiũ Imp. Quartum argumentum ducitur ex aliorũ Episcoporum nominibus qui huic Synodo subscripserunt: quorum nonnulli alijs etiam Synodis Gallicanis, post annum Domini quingẽtesimum celebratis, interfuerunt; vt ex subscriptionibus constat: veluti Vasensi secundæ, & Carpentoractensi atque Epaunensi. Ex quibus omnibus simul iunctis manifestum est hác

secun-

secundam Arausicanam synodum esse habitam post annum Christi Domini quingentesimum, & quidem anno, vt dictum est, quingentesimo vigesimo nono: ac proinde tempore Felicis Papæ quarti. Nam creatus Pontifex anno Christi 526. mense Iulio, decessit vir sanctus anno 530. mense Octobri.

QVOD autem huic Concilio subscribit Eucherius Episcopus; non est is Eucherius senior, sed Iunior; vterque Episcopus Lugdunensis: vt bene probat Baronius loco proximè citando. Vbi & illud docet de Prospero, qui Vasensi secundo & Carpentoractensi Concilijs subscripsit; diuersum omnino fuisse à S. Prospero Regiensi Episcopo.

QVONIAM verò ex cap. 1. huius Concilij manifestum est Canones qui hic recitantur, non fuisse ab ipso Concilio compositos; sed ab Apostolica sede transmissos, istic duntaxat publicatos & Episcoporum manibus subsignatos: ideo huic Canonum collectioni eum titulum dedimus, quem vides Lector: veritate ita postulante. Conferantur quę dicit Baronius in Additionibus subnexis Tomo 10. illic vbi videbis notari Tomo 7. anno 529.

QVOD de tempore huius Concilij diximus, & ex Baronio probauimus: illuc tibi valere debet, cordate Lector, vt intelligas, factionem totam Massiliensium & similium, hic à sede Apostolica rite esse condemnatam: quoniam hoc tempore iam omnia sua mysteria illi factiosi, alij atque alij, protulerant; vt conqueri non

potuerint ſeſe per hos Canones illegitimè dãnari quod non ſufficienter fuiſſent auditi & intellecti. Fuerant enim iampridem intellecti, melius fortaſſe quàm voluiſſent, eiuſmodi homines; qui ſuos errores principio verbis ambiguis ſolebant efferre inter Catholicos, vt ad effugium ſemper diuerticulum aliquod haberent paratum. Id quod ex ſancti Leonis ſuperiore Epiſtola liquet; & ex varijs locis S. Auguſtini, aliorumque, qui aduerſus Pelagianos & eorum reliquias ſcripſerunt.

Est operæ precium, ex eodem quem proximè citauimus Baronij loco, annotare quæ is de patribus huius Concilij Arauſicani, ac de canonibus eiuſdem, ita loquutus eſt: Recitant capita in Gallias ab ipſo Romano Pontifice miſſa: profitentes ea cuncta haud recentem eſſe Eccleſiæ doctrinam, ſed antiquorm Patrum definitionem, eandemque Apoſtolicæ ſedis authoritate firmatam: quæ Apoſtolica ſedes (vt ſuis locis ſuperius eſt declaratum) S. Auguſtini ſe profeſſa eſt de gratia & libero arbitrio probare ſententiam. Nihil ergo præterea nouitas ſibi vendicet & præſumptio humana præſumat. Quot igitur Arauſicani Canones, tot ſunt Catholicæ Eccleſiæ ſtabilitæ ſententię: à quibus abſque præuaricationis piaculo haud liceat fideli recedere. Ita Baronius. Et quamuis ille taceret: quis Catholicus ignorat fuiſſe acquieſcendum Sedis Apoſtolicæ definitionibus: quicquid tandem artificioſis vijs & plauſibilibus argutijs obtruderent nouatores?

Ad

AD Canonem 20. *Quæ non Deus præstet vt faciat homo.* In S. Augustino, loco ad marginem annotato, legitur sic: *quæ non Deus facit vt faciat homo.*

AD 23. Prior pars huius canonis sumitur ex S. Aug. Tract. 19. in Ioan. ad fin. In posteriore sententiæ parte variant codices. In Impressione horũ canonum Louaniensi ita legitur, *Quãuis volentes agant quod agunt: illius tamen voluntas est, à quo præparatur; & iubetur quod volunt.* Eodẽ modo legit Impressio Operum B. Augustini Antuerpiensis, Tomo 7.

SENSVM ea lectio facit hunc: Illius tamen, vt principalis authoris, est ea actualis voluntas, a quo ipsa paratur, gignitur, efficitur tanquam a præeunte & principaliter mouente (nempe, ipsius Domini, iuxta dictum Salomonis Prouerb. 8. fin. secundum 70.) & a quo eodem *iubetur* illud quod isti sic volunt.

VENETA impressio Tomo 2. Conciliorum, pro *illius*, habet *illorum*, sensu minus commodo; & pro *iubetur*, ponit *obitur*: quod posterius hic typographus nõ male sequutus est q. d. & a quo reipsa exercetur, in actum deducitur id quod isti volunt. Summa est; Dei priores & longe primarias esse partes efficiendi, tam ipsam actualem voluntatem boni operis, quàm eius executionem qua illud bonum opus obitur seu exercetur. Certe, si vera lectio esset, *iubetur*: nemo hoc in *obitur* mutasset. Ac sic) loquitur deinceps suis verbis synodus, vt ex his patet quę proxime præcedũt ipsas subscriptiones, & ex ipsis.

IN DECRETA SYNODI VALENTINÆ

GALLIÆ Valentiam esse in qua hæc Synodus sit celebrata, manifestũ est ex subscriptionibus Episcoporum: sed quod in Tomo 3. Conciliorum ponitur habita sub Benedicto Papa 3. id lapsu quodam ita positum est. Cum enim habita sit anno Christi 855. mense Ianuario; ac Leo, quartus pontifex eius nominis, defunctus sit die 17. mensis Iulij hoc eodem anno: pater habitam sub Leone 4 non sub Benedicto 3. eius successore.

IN CAPVT IIII.

PORRO *capitula quatuor quæ Concilio fratrum nostrorum*, &c. Omnino apparet improbari quatuor capitula synodi Moguntinæ, habitæ anno Domini 848. sub Rabano: cui tametsi Hincmarus Remensis Archiepiscopus non videatur interfuisse, ex his quæ habet in epistola ad Nicolaum primum, recitata per Baronium anno Christi 848. tamẽ ipse ea se declarat probare, tanquam eorum excerptor & collector; in epistola ad Carolum caluum Francorum Regem, paulo post initium; quæ extat apud Flodoardum histor. Remensis lib 3. c.15. & eodem loco pollicetur illorum capitulorum siue defensionem siue explicationem. Idem paulo pòst, eodem capite valde laudat B. Augustini doctrinam, & B. Cælestini ac S. Prosperi labores in ea defẽdẽda, etiã in materia de auxilijs: vt quando toties repetit hæresim Prædestinatianorum, nullo modo queamus intelligere S. Augustini doctrinam de diuina gratia diuináque

que prædestinatione illic improbari.

Sed & alia nouendecim, syllogismis ineptissimè cōclusa. De his idem Hincmarus in eadem ad Carolum Regem epistola, paulo post initium, ait quod de illis nouendecim capitulis nihil viderat, nihil audierat, nisi paulo antequam hæc Regi scriberet: quorum (ait) Capitulorum authorem neque ibi annotatū inuenimus, neque cum multū quæsierimus, inuenire valuimus.

Cęterum, Hincmarus iste, Deo deserente, quantum sese postea extulerit aduersus sedem Apostolicam; videre est apud Baronium Tomo 10. anno Christi 863. pag. 262. & sequent.

IN CAPVT V.

E*x ipsa tamen multitudine.*) Etiam reprobos, illos qui fuerunt iustificati, fuisse redemptos, clarè B. Petrus 2. epist. c. 2. in princ.

IN CAPVT VI.

I*Neptas quæstiunculas & aniles pene fabulas Scotorum.*) Quorum Scotorum & qualium, hic mentionem velit facere Synodus, non valde liquet. Constat multos pios viros ex Scotia, Anglia, Hibernia olim in Gallias, in Belgium, in Germaniam peregrinatos esse, ibique fixa sede, Catholicam religionem ac morum Christianorum sinceritatem vel plantasse, vel corroborasse vel propagasse. Constat item Scotis fuisse complura monasteria erecta, dicta idcirco à scriptoribus medię ętatis Monasteria Scotorum. Quorum in Germania vndecim cōmemorat Aubertus Miræus in suis Fastis Belgicis & Burgundicis, dię 1. Octobris, in S. Walnulfo:

ex quibus etiam hodie tria à Scotis possideri tradit; Ratisponę, Erfordię & Herbipoli. Constat Scotorum Monasteriũ fuisse Fossis in Diœcesi Leodiensi, vbi iam olim est Collegium Canonicorum quos vocant sæculares. Idem Miræus ibidem tradit fuisse in Italia Bobiense Scotorum Monasterium.

Porro illa Monasteria Scoti multos annos incoluerunt, quousque à pristino feruore tepescentes, & in omnem dissolutionem remissi, expulsi sunt, ait Trithemius in Chronico Hirsaugiæ, Abbate septimo.

Intellige autem, esse excipienda illa tria Monasteria quæ Miræus commemorat etiam nunc à Scotis possideri.

Quod verò Synodus Valentina hoc cap. 6. de ineptis quæstiunculis & anilibus pene fabulis Scotorum dicit, quid sibi velit, vix possumus coniectare: nisi quod Baronius Tomo 10. anno Christi 855. in princ. tradit fuisse tunc Scotos quosdam, homines vagos, qui de prędestinatione & pręscientia Dei, de gratia item & libero arbitrio, prauas opioniones in vulgus spargere laborabant, ex quibus Catholica doctrina corrumperetur. His occurrentes Episcopos trium Gallicarum Prouinciarum, Synodũ istã cõgregasse, ac in nouitatẽ vltores exsurrexisse.

Sunt digna laude quæ de istorum Scotorum maioribus, qui suis sumptibus hospitales domos in Gallia extruxerant, tradit idẽ Baronius eodẽ Tomo 10. anno Christi 845. pag. 33. e. 34. a.

Finis Annotationum.

